Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Fecht Johann Friedrich Stade von

Disputatio De Consensu Doctrinae Inter Lutheranos Et Pontificios In Articulo De Missa, Joanni Dezio, Jesuitae, Opposita

Rostochii: Richelius, 1699

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

RU theol. 26.April 1699

~~von Stade, Joh. Frid.~~

Fecht, Johann /a

Universitäts Bibliothek Rostock

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0001

DISPUTATIO
DE
CONSENSU
DOCTRINÆ
INTER
LUTHERANOS
ET
PONTIFICIOS
IN ARTICULO
DE
MISSA,
JOANNI DEZIO, Jesuitæ, Opposita.

PRÆSIDE

JOANNE FECHTIO,

SS. THEOL. D. EJUSDEMQVE P. P. CONSISTORII DUCAL. MECKLENB. ASSESSORE ET DISTRICTUS ROSTOCHIENSIS SUPERINTENDENTE,

AD PLACIDAM COLLATIONEM EXPOSITA
Ad D. XXVI. April. A. O. R. M DC XCIX.
A

JOHANNE FRIDERICO
VON STADE,
STADENSI.

ROSTOCHI,
Typis JACOBI RICHELII, Ampliss. Senat. Typogr.

330
Universitäts-Bibliothek Rostock
1699

VIRIS PER-ILLUSTRIBUS AC GENEROSISSIMIS DOMINIS

DN. BARTHOLDO CLEMENTI von der KUHLA,

S.R.M. Sveciæ in Ducatibus Bremensi & Verdensi Cancellario meritissimo,

DN. SAMUELI CHRISTOPHORO von LISSENHEIM,

Ejusdem R. M. in inclytissimi Regii Regiminis Ducatuum Bremens. & Verdens. Senatu Consiliario gravissimo, & hoc tempore ad negotia Circuli Saxon. Infer. Ablegato Extraordinario,

Ut &

MAGNIFICIS, SUMME REVERENDIS ATQVE AMPLISSIMIS

DN. JOHANNI DIECMANNO,

SS. Theol. Doctori famigeratissimo, & R. M. Sveciæ in Ducatibus Brem. & Verd. Superintendenti Generali vigilantissimo,

DN. JACOBO HIERONYMO LOCHNERO,

SS. Theol. Doctori celeberrimo, S. R. M. Svec. in dictis Ducatibus Consiliario Ecclesiastico, Diœceseos Bremensis Superintendenti & Templi Cathedralis D. Petri Bremæ Pastori Primario Dignissimo,

Patro-

Patronis, Promotoribus, Evergetis ac Mecœnatibus meis salutem ac felicitatem precor omnigenam.

NOn auderem, Mecœnates Optimi, illustribus nominibus vestris hanc dissertationem inscribere, nisi summa Vestra ac prorsus inusitata benignitas ex longe plurimis atqve maximis documentis mihi abunde cognita esset atq; perspecta. Qvæ cum grati qvoddam animi monumentum jure merito a me reqvirere intelligam, id ipsum eqvidem in præsenti humillime præstare allaboro, tametsi illud Vestris beneficiis haud respondere, tantisqve Patronis majora ac splendidiora deberi haud diffitear. Veruntamen credidi, conatui meo aliqvod pondus exinde accedere, qvod præsens submissa mente manuqve Vobis exhibitum scriptum auctorem agnoscat Theologum non minus eruditione, qvam meritis in Ecclesiam celeberrimum, qvi mihi pro sua in me propensione ejus edendi defendendiqve protestatem fecit. Ejus etenim cætera meletemata cum a Vobis in pretio haberi soleant, plane non dubito, qvin hoc ipsum eadem suscepturi sitis benignitate. Igitur nihil amplius rogo Vos, qvam ut dum hoc observantiæ meæ pignus Vobis serena fronte tradi permittitis, simul qvoqve Vestram benevolentiam a me patiamini exorari, eamqve mihi semper propitiam servare ne dedignemini. Ego vero nunqvam intermissurus sum, DEum devotissimis venerari precibus, ut Vos diutissime salvos & incolumes servare velit, in Divini sui nominis gloriam, Ecclesiæ, Reip. Patriæqve singulare decus & præsidium.

Vestr. Perillustr. Summeq; Venerab. Nominum
Humillimus Cultor

J. F. von Stade.

SUMME

Summe Reverendo et Magnifico Viro,

DN. JOANNI DIECMANNO,

Doctori Theologo celeberrimo & Ducatuum Brem. & Verd. Generali Superintendenti, de Ecclesia JEsu Chr. optime merito.

S. P. P.

REdit ad Vos, Vir Excellentissime, natione pariter & nomine STADENSIS Vester, qvo juvene nemo facile unqvam ad omne bonorum studiorum genus, sacram inprimis Theologiam, aut ingenio magis fuit excitatus aut promptus magis voluntate. Non ex auditu testor, sed qvod ipso sensu sum expertus in ædibus meis, qvarum incola fuit, qvodqve vidi his oculis sive in ipsius musæo, sive in auditoriis meis qvotidianis. Ad publicas lectiones, de controversiis hodie Ecclesiam nostram non sine exitiosâ divulsione adfligentibus dissertaturum, indivulsus me semper comes seqvebatur, in privatis, immô privatissimis scholis, sive sacræ disciplinæ fundamenta illustrarem, sive ad Ecclesiæ historiam commentarer, sive qvacunqve aliâ lectione defungerer, ita sedulus auscultabat & attentus, ut proficiendi, non audiendi solum causâ adesse se omnibus palam faceret. Disputandi exercitia, qvibus judicium nostrum acuitur & lingva ad eloqvendum prompta redditur, non amavit tantum, sed in pretio habuit; cujus rei ultimum hoc specimen cum singulari totius Academiæ adplausu exhibebit. Bibliothecæ qvoqve meæ assiduus lustrator, Theologorum sibi scripta familiariter cognita reddidit. Acqvisitam verò indefesso studio rerum sacrarum notitiam, duplici susceptâ peregrinatione literariâ, unâ in Daniam, alterâ in vicinum nobis tractum, colloqviis cum Theologis Havniensibus, Berolinensibus, Francofurtensibus, Gryphisvvaldensibus, Stettinensibus & Stralsundensibus, viris toto orbe celeberrimis, institutis, roboravit. Id eqvidem confidenter asserere possum tanto cum ardore officium suum fecisse, ut qvum conversandi cum summis imisqve honestas & singularis planeqve amabilis animi modestia, qvæ eundem omnibus charum effecit atqve acceptum, accederet, exemplo aliis illustri esset, qvod intueri possent & deberent imitari. Verumtamen eorum, qvæ de STADENSI meo dixi, veritatem, Tu simul, Vir celeberrime, qvi pro Tuâ posthac in Ecclesiam sollicitudine curaturus es, ut illa in ipsum collata dona in publicum usum feliciter explicari qveant, & D. LOCHNERUS, Bremensium Ecclesiarum Præsul longe meritissimus, qvi primus eundem amicitiæ meæ insinuavit, præsentioribus documentis, certioribusqve posthac ipsi cognoscetis, qvam qvalecunqve testimonium meum, si forte domesticum id vobis videatur, exponere possit. Ego interea & optimo juvenis Parenti, de obtentâ hac in Filio felicitate, & Tibi de cive, tantam jamnunc spem & expectationem patriæ suæ ostentante, impensè gratulor, DEumqve imploro, ut & ipsum in salutarem boni publici usum aliqvando provehere, & Te qvoqve Ecclesiæ Tuæ atqve bonis omnibus in solatium pariter atqve ornamentum immortale qvam diutissimè velit esse superstitem. Scr. Rostochii, die XIV. Apr. MDCXCIX.

Summè Rev. Nom. Tuo

omni studio & observantiâ addictus

Jo. Fecht. D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0008

PROPOSITIO.

Nec in iis qvidem, in qvibus utramqve Eccleſiam, Pontificiam & Lutheranam, ſpeciatim convenire Jo. Dezius adſeveret, vel ullum vel perfectum eſſe conſenſum.

I.

JO. *Dezius*, Societatis JEſu Presbyter & SS. Theologiæ Doctor, novorum Jeſuitarum, in Collegio Argentoratenſi, à Ludovico XIV. erecto, ſive eruditionem ſpectes, ſive famam, facile princeps, id ſibi negotii ab acceſſu ſtatim ſuo datum eſſe credidit, ut exemplo illuſtriſſimi Meldenſium Epiſcopi, ſuperiori capite enarrato, Lutheranos Argentoratenſes Irenico pariter & remoto ab omni acerbitate ſcripto ad Eccleſiæ Romanæ gremium reduceret. Ei fini librum edidit, cui præfixit titulum: *La Reunion des Proteſtans de Strasbourg à L' Egliſe Romaine, également neceſſaire pour leur ſalut & facile ſelon leur principes.* Qvi in Germanicam qvoqve lingvam translatus hanc geſſit inſcriptionem: Vereinigung der Proteſtirenden zu Straßburg mit der Röm. Kirchen / als welche zu ihrem Heyl nötig und nach ihrer Lehre leicht iſt. Cum hic liber vehementer adblandiri Lutheranis videretur, famâ ex homiliis Eccleſiaſticis, *à Dezio* in ſummo templo habitis, qvæ Auguſtanam Confeſſionem cum Concilio Tridentino conciliare dicebantur, & ex qvibus, ultrò fatente *Dezio*, enata eſt hæc Reunio, ſuſpicionem adaugente in majus, fore, ut à Romanâ Eccleſiâ moderatio iſthæc haud adprobaretur, ne ullus ipſi à matre Eccleſiâ diſſenſus objectari poſſet, univerſum opus ſuum auctoritate & approbatione clariſſimorum in Eccleſiâ Gallicanâ

canâ præsulum communire adlaboravit. Igitur *Georgius*, Archiepiscopus Ebrodunensis & Episcopus Metensis, testatur, doctrinam hujus libri cum fide Catholicæ Ecclesiæ optimè convenire, argumentisqve accuratissimis solidissimisqve confirmatam, tractationem verò aptissimam esse, ut per eandem Argentoratenses ad veterem religionem non possint tantum reduci, sed &, nisi affectuum studio omnino laborent, redire planè cogantur. Meldensis qvoqve Episcopus, *Jacobus Benignus Bossvetus, liber ille*, inqvit, *continet puram sanamqve doctrinam, eò qvod cum singulari accuratione & exactissimè exponat fidem Catholicam, Apostolicam & Romanam. Charitas in eo certat cum veritate. Augustana Confessio & alii libri Symbolici, unâ cum præcipuis Lutheranorum scriptoribus, ad promovendam pacem utiliter atqve sincerè sunt adhibiti. Sperarique potest grande bonum de tali opere, in qvo tanti thesauri inveniuntur reconditi.* Deniqve *Abbas de Ratabon*, Generalis Episcopi Argentoratensis Vicarius, Reunionis auctorem eâ diligentiâ eoq; ornatu & eruditione, qvæ laudem omnem longè supergrediatur, veram, integram, puramqve Romanæ Ecclesiæ doctrinam proposuisse testatur, atqve ideò libelli lectionem cùm Catholicis ipsis, tum separatis ab Ecclesiâ Romanâ fratribus, enixissimè commendat.

II. Scopum suum finemqve hoc præcipuè modo prosequitur, ut primò ostendat, in complurimis nos inter & illos esse consensum, dummodo ex parte Romanorum Tridentinum Concilium, è Lutheranorum parte Augustana Confessio pro unico fundamento ponatur, unde de utriusqve Ecclesiæ doctrinâ & confessione sit judicandum. Deinde verò Romanæ Ecclesiæ dogmata perspicuè atq; ita exponit, probatqve, ut liberata ab omni eo additamento, qvo à Lutheranis vulgò & immeritò deformantur & simplicioribus exosa redduntur, pura appareant & qvasi nativa. Qvo simul labore & id agere adnititur, ut demonstret, nullum errorem fundamentalem complecti Romanam Ecclesiam, adeoqve & hac

hac in re causâ omni destitui Lutheranos, tantopere ab Ecclesiâ Romanâ abhorrendi. Postremò à Lutheranis qvoqve similem suæ doctrinæ expositionem reqvirit, ut eâ rectè institutâ appareat, eandem falsis potius, qvas de Romanâ doctrinâ conceperint, mentis suæ ideis, qvam veris Romanæ Ecclesiæ erroribus opponi. Omnia igitur eò tendunt, ut dissensum inter utramqve religionem elevent, laudent, prædicentqve consensum, Romanæ præterea Ecclesiæ doctrinam ita candidam innocuamqve describant, ut primore statim intuitu amabilis appareat, exuatqve, qvantum fieri potest, omnem horrorem.

III. In exponendo utriusq; partis consensu ita descendit ad speciem *Dezius*, ut qvotqvot potest, corradat doctrinæ particulas, in qvibus amicè cum Pontificiis conspirare Lutheranos supponit, ut vel copioso eorum, in qvibus utrinqve conveniri putatur, numero ad colendam cum Rom. Ecclesiâ pacem impensius Protestantes commoveantur. Qvâ in re cum diversum *â Bossveto* institutum, qvodqve ad conciliandos dissentientium animos nescio qvam acriorem vim habere videtur, seqvatur, planè commodè me facturum esse arbitratus sum, si & hujus prætensi consensus solidius examen superiori, adversus *Bossvetum* instituto, adjicerem. Qvare, qvod felix faustumqve sit, DEOqve propitio fiat, presso pede *Dezii* vestigia legentes, singula viri verba sub considerationem, ab omni passione remotam, vocaturi sumus.

IV. Ita igitur ille caput de Missâ exorditur: *Catholici & Protestantes Argentoratenses conveniunt, 1. qvod retineri oporteat nomen Missæ, eò qvod sit perqvam antiqvum.* Pro confirmando consensu adducitur testimonium Augustanæ Confessionis, è tertio abusuum articulo, ubi nostri: *Falsò*, inqviunt, *accusantur Ecclesiæ nostræ, qvod Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos & summâ reverentiâ celebratur. Servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes.* (A.)

(A.) p. 23.

V. Videri poterat hæc consensionis particula non ejus momenti esse, qvæ in fronte mereretur adduci. Qvid enim tralatitium magis est, qvam in nominibus convenire, qvi in reipsâ dissentiunt? Nam & convenitur inter utramqve Ecclesiam, credendum esse in Christum & studendum esse bonis operibus & orationi vacandum esse, qvæqve infinita talia per universam Theologiam occurrunt, & tamen in describendâ fidei operumqve & orationis vel naturâ vel effectibus, immane qvantum dissidet utraqve pars, ut neqve Lutherani ad Romanos, neqve Romani ad Lutheranos, qvantumlibet nomina communia habent, qvamdiu manet pugna in sententiis ipsis, unqvam sint accessuri. Persvadeor igitur, qvia Missæ vox, iis cumprimis in locis, ubi & Lutheranæ & Pontificiæ religionis exercitium viget, freqventius & qvasi ordinariè sacrificium, non Sacramentum, notat, (qvam ob causam de Sacramento in iisdem non facile amplius unqvam usurpatur:) admonere *Dezium* Argentoratenses isthoc pacto voluisse, teneri illos, ut Missæ iterum nomen revocent, qvo in usum traducto, apud simplicem præcipuè plebem, facilior futura sit ad amplectendum ipsum Sacrificium via. Aut exponat ipse *Dezius*, cur nominali huic consensui, qvem in plurimis aliis articulis allegare æqvè poterat, tantum tribuerit, ut primum ei adscripserit momentum, utramqve Ecclesiam conciliandi?

VI. Jam ipsa, qvam pro consensus sui fundamento ponit, thesis: *Nomen Missæ debet retineri*, neqve Lutheranorum est, neqve ex loco, ex libris Symbolicis adducto, comprobatur. De nomine Missæ in Lutheranâ Ecclesiâ vel retinendo vel abrogando nihil ullibi Aug. Confessio pronunciat; rem ipsam, nomine Missæ antiqvæ Ecclesiæ indigitatam, in Ecclesiâ nostrâ retineri, majoriqve, qvam in ipsâ Rom. Ecclesiâ, reverentiâ celebrari asseverat. Qvo ipso tamen ad retinendum Missæ nomen sese nullo modo adstringit. Periit ex communi Ecclesiæ Rom. usu Ascetarum nomen, pro qvo vulgò

vulgò Monachos ſubſtituunt, & tamen rem ipſam retineri omni vi niſuqve contendunt. Et qvis ignorat antiqvatorum nominum ingentem copiam, pro qvibus ſervatis rebus ipſis alia hodie ſubſtituimus? Qvemadmodum è contra *multa in uſu & conſvetudine hominum poſita ſunt, qvæ etſi à majoribus noſtris manaſſe tradantur, longo tamen temporis tractu ſunt ita mutata, & in alium uſum translata, ferè ut nihil aliud, qvam nomen ex primo inſtituto retineant*; ita obſervationes ſuas exorditur doctiſſimus Aurelianenſium Epiſcopus, *Gabriel Albaſpinæus*; idqve ſimili ſententiâ ſcriptor recentior qvidem, ſed non minus ingenuus & celebris, *Jo. Bona*, confirmat: *multa vocabula nobis & priſcis patribus communia retinemus, ſed ſenſu ab eo, qvem tunc habebant, non minus alieno, qvam noſtra tempora à primis poſt Chriſtum ſeculis remota ſunt.* (*) Atqve hoc unum eſt, qvod conqveruntur Auguſtani Confeſſores & Miſſæ vocabulo contigiſſe, cujus res ſignificata à Lutheranis ad veteris inſtituti normam, à qvo ſolum in Rom. Eccleſiâ nomen retinuerit, fuerit revocanda. De re itaqve ſermo eſt Confeſſioni, non de nomine, qvod neqve retinendum eſſe affirmat, neqve non retinendum. Erat eqvidem, non inficior, & ipſum nomen Miſſæ tum apud Lutheranos qvoqve, cum de Euchariſtiâ loqvebantur, in uſu. Sed partim reſpiciendo veteris Eccleſiæ conſvetudinem, qvæ *unam tantum communem Miſſam*, qvæ fuerat *communicatio Sacramenti*, (B.) agnoſcebat, ſacrificium, qvod ſimul conficeret ſacerdos, ignorabat; partim verò ita, ut haud obſcurè ſignificet, conſultum non eſſe, ob prævalentem vocis abuſum, qvo audito Miſſæ vocabulo nonniſi ſacrificialis oblatio concipiatur, ut de ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento poſthac retineatur. Hinc enim non tantum in Articulis Smalcaldicis, ſeptimo poſt oblatam Aug. Confeſſionem anno ſcriptis, Miſſam in Papatu declarant Lutherani: *eſſe maximam & horrendam abominationem, ſimpliciter & hoſtiliter è diametro pugnan-*

(*) I. R. L. XIIX. §. 1. (B.) A. C. p. 26. & alibi paſſim.

gnantem contra articulum primum, de JEsu Christo, qvippe qvi solus peccata mundi sustulerit & ex merâ gratiâ, per redemptionem, qvæ est in sangvine ipsius, nos redemerit; sed & ipse Lutherus non integro post A. C. anno, qverelam eâ de re vehementissimam instituente, *Thomâ Henrici*, Episcopo Chrysopolitano, (C.) dicteriis longè acerbioribus Missam fuit insectatus, adeò ut exinde colligat Episcopus: **Die Lutheraner halten die Meß für die gröste Abgötterey und den abscheulichsten Greuel der Welt; so gar / daß sie auch den blossen Namen der Meß nicht dulden können.** Ecce invisum esse ipsum Missæ nomen Lutheranis, neqve nunc demum, sed illicò post oblatam Aug. Confessionem, auctore & incentore Luthero, factum profitetur *Thomas* ille, & res ipsa clamat, aut rarò aut nunqvam hodie Missæ nomen de Eucharistiâ in Lutheranis Ecclesiis usurpari. Qvî igitur fieri posset, ut in ipsa Aug. Confessione, publico professionis nostræ Symbolo, retinendum esse hoc nomen, profiteri qveamus? Retineri posse antiqvo sensu non negat Confessio, retineri debere asserit nunqvam.

VII. Nec ratio, qvam addit *Dezius*, cur Missæ nomen in Lutheranâ Ecclesiâ retinendum esse Lutherani decernant, ullibi vel in Libro Symbolico legitur, vel in doctore Lutherano: *qvia antiqvum est.* Nam & sacrificii nomen antiqvum est, qvod tamen Eucharistiæ, vulgò non tribuunt, sed ejus loco Biblica libentius præferunt; piè docente nostro *Chemnitio.* (†) Ad qvartum usq; seculum natales suos referre Missæ nomen indubitatum est. Imò nec tertium seculum eidem invidere vult *D. Dannhawerus*, auctoritate *clarissimi cujusdam viri.* (D.) Est is *D. G. Calixtus.* (*) Sed & postea *D. Jo. Henichius*, (**) & ante hos *Matthias Berneggerus*, in Hypobolimæâ Divæ Mariæ Deiparæ Camerâ, seu Idoli Lauretani demo-

(C.) Irenico Cathol. p. 386. f. (†) In Exam. C. T. de Miss. p. 351. (D.) Christeid. p. 257. (*) De Sacrif. Christi §. XXCVII. (**) Hist. Eccl. sec. III. p. 391.

molitione id asserverant. (E.) Nam qvod *Baronius* natam hanc vocem simul cum Ecclesiâ & à primis ejus post Christum fundatoribus, Petro & Paulo, autumat, (F.) id à plerisqve aliis Rom. Ecclesiæ scriptoribus rejicitur. Qvod verò noviſſimè *Card. Bona* (G.) secundo seculo vocis illius originem transcribit, non alio fundamento nititur, qvam Epistolâ Pii, Pont. ad Justum, Episcopum Viennensem, de qvâ jamdiu ante Bonam loco allegato Berneggerus: *Cardinalis Cusanus, aliiqve Pontificiarum partium viri docti, jamdudum demonstrarunt, non solum Pii illius, sed & cæterorum omnium Paparum primi secundiqve à nato Christo seculi, ac ferè etiam tertii, scripta, scilicet qvæ sub eorum nominibus circumferuntur, esse nomina adulterina & à planis atqve impostoribus profecta.* Mirari itaqve convenit, qvi scribere hoc ipso loco *Bona* potuerit, Pii illam, ut & Cornelii ad Lupicinum epistolas, nec omninò reprobare sectarios & inter pseudepigraphas nec qvidem ab eterodoxis recenseri. Nam clariſſimo, qvem nominavit, viro, qvi doceri non posse dixerat, cur Cornelii ad Lupicinum epistola non sit genuina, ne qvidem adstipulatus est ipse *Dannhawerus*, qvantumlibet rem, in eâ relatam, probaverit, sed ut spuriam rejecit; (H.) Qvod & ante & post eundem innumeri alii fecerunt. (I.) Velim, cum indefinitè scripserit, vel è sectariis præcipuos, vel aliqvos saltim nominatos esse. Nec id etiam verum est, qvod addit ad confirmandam sententiam suam Bona: *Ambrosium, Augustinum, aliosqve Missæ nomine usos tanqvam consveto & dudum fidelibus usitato.* Id enim qvo indicio probabitur? Nec enim nisi Missæ meminerunt. Qvæ nuda mentio ubi primum occurrit, cum in aliarum vel rerum vel appellationum indagandâ origine primi nobis usus argumentum præbeat, nec in Missæ nomine altius principium signabit. Sed verò qvicqvid eâ de

(E.) p. 41. (F.) A. 34. n. 59. (G.) Lib. I. R. L. c. III. §. I. p. 333. (H.) Christeid. p. 900. (I.) Flacius, Blondellus, Cocus, Micrælius, Ottius, Bebelius, Pearson, Dodwellus, Cave.

A

de re sit, & qvacunqve antiqvitatis dignitate Missæ nomenclatura superbiat, parum inde momenti, inprimis ex Lutheranorum opinione, huic nomini retinendo accedit, ut adeò & hanc nominis Missatici vetustatem non alium in finem celebrasse *Dezius* videatur, qvam ut in simpliciorum animis nova ipsius sacrificii, per Missam hodie vulgò intellecti, veneratio ex ipsâ ejus antiqvitate excitaretur.

IIX. Manifestum igitur, ut in sole, est, neqve in thesi hac primâ Dezianâ, nec in eâ, qvâ nititur, ratione, ullum esse Lutheranos inter & Pontificios consensum. Seqvitur nunc secunda: *Conveniunt*, ait Dezius, *Catholici & Protestantes, qvod debeat celebrari Missa magnâ cum reverentiâ.* Allegatur eam in rem in exemplo Reunionis Gallicò Apologia Aug. Conf. *Initiò hoc iterum præfandum est, nos non abolere Missam, sed religiosè retinere ac defendere. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis & aliis Festis, in qvibus porrigitur Sacramentum his, qvi uti volunt, postqvam sunt explorati & absoluti. Et servantur usitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus & alia similia.*

IX. Ut de hac consensus particulâ judicare qveamus, repetendum ex superiore discursu est, Missam duplici sensu dici posse, primò pro communione Sacramenti; qvo solo sensu Missam Lutherani concedunt; deinde pro sacrificio, eoqve vel solo, vel cum sacramento connexo, qvo sensu Pontificii Missæ vocem perpetuò accipiunt. Et qvidem Lutheranos nonnisi priore significatu Missam magnâ cum reverentiâ celebrandam esse, asserere, ipse allegatus à *Dezio* ex Apologiâ locus extra omnem dubitationis aleam ponit. Qvamprimum enim prætati fuerant Confessores, Missam non aboleri à Lutheranis, sed religiosè retineri ac defendi, qvam Missam intelligant, illicò subjiciunt, dicuntqve: *fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis & aliis festis, in qvibus porrigitur Sacramentum his, qvi uti volunt.* Et postea, sicut alias freqventer, Missam publicam per communionem ἐπιξηγηπ-

κῶς

κῶς exponunt, sacrificium verò, à Pontificiis communioni præmissum, datâ operâ refellunt. Sacramentum igitur est, qvod magnâ cum reverentiâ à Lutheranis celebratur, non sacrificium. Præterea ita se reverenter Missæ sacramentum celebrare innuunt Confessores, ut eâ reverentiâ non celebretur à Pontificiis. Neminem enim admitti ad Missæ communionem, nisi exploratum & absolutum. Neminem nisi admonitum de dignitate & usu Sacramenti, qvantam consolationem adferat pavidis conscientiis, ut discant DEO credere & omnia bona à DEO expectare & petere. Id verò non fieri apud adversarios. Ubi plerumqve nulli sint communicantes, qvippe in privatis seu solitariis Missis, nullæ explorationes. Ubi sola Missarum facta à sacerdote celebratio, etiam qvæstus causâ, prodesse dicatur iis, qvi easdem audiunt, aut iisdem interstunt. Qvod sit prodesse ex opere operato. Qvi aliiqve abusus, suo loco amplius in lucem protrahendi, cum à Lutheranis fuerint à Missâ separati, è contra antiqva Missæ dignitas, qvæ in Sacramentali eorum, qvi juxta Apostolum præparati digniqve accedant, communione consistat, restituta, palam esse, majori reverentiâ apud nos, qvam apud Pontificios Missas celebrari. *Hic cultus delectat DEUM, talis usus sacramenti alit pietatem erga DEum. Itaq; non videntur apud adversarios Missæ majori religione fieri, qvam apud nos.* (K.)

X. Qvæ si rectè expendantur, palam erit, ex mente Confessorum Augustanorum, has potius Theses & Antitheses, Lutheranos à Pontificiis disjungentes, non conciliantes, faciendas esse: Magnâ reverentiâ Missa communis, qvæ est Sacramentum, celebranda est, nullâ verò reverentiâ sacrificium. Magnâ reverentiâ sacrificium, tanqvam præcipuus DEI cultus, celebrandum est, post hoc non sine reverentiâ sacramentum qvoqve sumendum. Majori religione apud Lutheranos, communione Sacramentali post debitam explo-

(K.) A. C. p. 24.

rationem utentes, qvam apud Pontificios celebratur Missa, qvippe ubi nullâ religione, DEO placente & veram, verbo Divino congruam, pietatem excitante, celebratur. Majori religione celebratur Missa apud Pontificios, qvam apud Lutheranos, ubi vera Missa, qvæ est sacrificium, planè non celebratur. Audeo compellare ipsam Dezii conscientiam, annon hoc dicere in tertii Abusuum articuli confessione, ejusdemqve Apologiâ, voluerint confessores Lutherani, annon verò iisdem ita contradicere Romani? Qvis igitur hic est consensus? Nempe vocabuli ambiguitate decipiuntur Lectores, cum audiunt: Missam magnâ reverentiâ celebrandam esse, atq; hoc concedere Lutheranos. Qvæstio in hoc abusuum articulo directè non erat de Sacramento, qvippe de qvo articulo Confessionis decimo actum fuerat, sed de sacrificio; hoc enim, tanqvam nævus aliqvis & abusus antiqvæ purioriqve Missæ juxta Lutheranorum sententiam à Pontificiis fuerat adfictum. Hunc nævum dum separare à vetere instituto connituntur Lutherani, celebratæ à se cum reverentiâ Missæ non aliam ob causam mentionem faciunt, qvam ut objectionem declinent, qvasi Missam omnem, etiam qvoad communionem Sacramentalem veteribus ita dictam, abolerent. Rectè igitur in hac occupatione dicere poterant Confessores: Missa magnâ apud nos reverentiâ celebratur; non ideò extra occupationem hanc tanqvam assertio Lutherana venditatur: Missa cum magnâ reverentia celebranda est. In hac enim absolutâ loqvendi ratione non potest aliter intelligi nisi de Missâ, qvâ illa sacrificium esse fingitur, cum hoc solummodo respectu in Abusuum hoc articulo oculis objiciatur & consideretur. Qvod si forte dicturus est *Dezius*, se non aliter velle intellectum, qvam in hoc convenire cum Lutheranis Pontificios, qvod Missa, saltem qvoad aliqvam sui partem, nempe communionem Sacramentalem, reverenter sit celebranda; tum respondetur, supponi ab ipso id, qvod supponendum non fuerat, qvasi Missa duabus constaret partibus, sacri-

sacrificio & sacramento. Hoc enim nunqvam concesserant Confessores, sed vocem tantum liberaverant ab ambiguitate, qvæ aliqvando juxta antiqvam consuetudinem verè rectèqvè sacramentum, aliqvando verò juxta usum Romanæ Ecclesiæ recentioris, perperam & falsò sacrificium designat. Summa dicendorum eò redit, de Missâ nos inter & *Dezium* unicè qværi, ut est sacrificium & an hic aliqva vel reconciliatio vel sententiarum mitigatio locum habeat? Ad hanc verò ostendendam persuadendamq; nihil planè conferre hanc à Lutheranis concessam thesin: Missa, ut est sacramentum, reverenter celebranda est.

XI. Seqvitur ergo apud *Dezium*, cum nec in secundo momento ullus sit inter Lutheranos & Pontificios consensus, particula consensionis tertia: *Conveniunt Catholici & Protestantes, qvod non sint abolendi ritus ordinarii, qvi usurpari solent ad dicendam Missam.* In Germanico Reunionis exemplari ad comprobandam hanc assertionem ea ipsa adducuntur Apologiæ verba, qvæ in Gallicano secundo consensus membro fuerunt adjecta.

XII. Ipsa Augustana Confessio de his ritibus: *Servantur*, inqvit, *& usitatæ ceremoniæ ferè omnes.* Iterumqve sub finem: *publicæ ceremoniæ magnâ ex parte similes usitatis servantur.* Apologia verò: *servantur usitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus & alia similia.* Dum ait, servari ceremonias *ferè omnes*, iterumqve, *magnâ ex parte similes usitatis*, apertè simul innuit, recisos à Lutheranis esse qvosdam circa celebrandam Missam ritus, qvos vel pro superstitiosis habuerint, vel qvi minus tanti mysterii majestati convenirent, aut certè immutatos tales esse & correctos. Nempe ostendit integrâ pulcerrimaqve dissertatione *D. Calixtus*, (L.) non deesse Eucharistiæ nostræ ullos ritus, qvi in priscâ illâ & genuinâ Missâ fuerint usitati. Nam & hymnos cani & deprecationes fieri & Scripturas legi atqve explicari, & panem

(L.) De Sacrif. Chr. à §. LI. ad XCI.

vinumqve benedici atqve consecrari, deniqve ad manducandum & bibendum distribui. Id tantum discriminis esse, qvod qvæ ab antistite sive sacrorum ministro apud nos è suggestu hodie recitantur, apud veteres ad aram sive sacram mensam fuerint pronunciata. Atqve eâ simul occasione commonstrat, qvomodo, qvæ Collectæ apud antiqvos omni reprehensione caruerint, seqviori ætate variâ fuerint superstitione repletæ. Id ipsum etiam non eqvidem obscurè insinuat Confessio, qvando retineri à nostris ritus, non omnes singulosqve, sed *maximam partem* adseverat, nec illos, prout eo tempore fuerant qvoad omnia verba apicesqve usitati, sed *usitatis similes*. Qvid enim commovere eos poterat, ut ab usitatis recederent, substituerentq; similes, atq; adeò odium criminationemq; in se adversariorum concitarent, nisi reformationem & in ipsis desiderarent Missæ ritibus? Nemo locupletior hujus rei ipso *Melanthone*, Confessionis auctore, testis est, qvi qvantâ de cætero celebraretur moderatione, in ceremoniarum tamen Missaticarum absurditatem & superstitiones passim graviter est invectus. (M.) Cur verò non facerent hoc nostri, in reformando qvippe occupati, cum hosipsos circa Missam ritus seriâ emendatione egere, qvippe qvi in fœdos qvoslibet abusus Episcoporum vel ignorantiâ vel conniventiâ degenerassent, neqve tum inficiati fuerint, neqve inficientur hodie, qvotqvot reperiuntur in Romanâ Ecclesiâ cordatiores. Dicat nobis denuò testimonium vir sui nominis, *Cardinalis Bona*, qvi cum Augustini regulam laudasset, qvæ jubet Ecclesiæ defectus sine ullo typho sacrilegæ superbiæ, sine ullâ inflatâ cervice arrogantiæ, sine ullâ contentione lividæ invidiæ, cum sanctâ humilitate, cum pace catholicâ, cum caritate Christianâ, emendare, hoc votum suum confessionemqve subjicit: *Atqve utinam Ecclesiæ antistites ab hac regulâ pacis & charitatis nullo unqvam tempore recessissent; in tantâ enim consvetudinum diversitate nulla fuisset animorum dissensio, nullæ inter Christianos*

(M.) Vid. Consil. Mel. Part. II. p. 48. f. p. 71. f.

nos scissuræ, nulla scandala; nihilqve INEPTUM, *nihil* REPREHENSIBILE *in Ecclesiasticos ritus irrepsisset. Sed dum plerique potestate sibi traditâ abutuntur, dum nimium sibi suisque adinventionibus indulgent, dum veterum patrum statuta parvipendunt, in* VARIOS ERRORES *lapsi sunt. Et primò quidem rituum varietas, quâ Græci à Latinis & utrique inter se olim discrepabant, ingens augmentum sumpsit ex nimiâ libertate, quam sibi temerè arrogarunt, quidlibet in hoc genere audendi, minorum etiam gentium Episcopi & ipsi quoque monasteriorum præfecti, adeò ut nonnulli Apostolicis institutionibus neglectis, veterumque patrum auctoritate posthabitâ, multa prorsus* INSULSA ET AB ECCLESIASTICA GRAVITATE ALIENA *ritualibus libris inseruerint, quæ in antiquatis codicibus hodie legimus &* DETESTAMUR. Utrum liberiorem de rituum ineptorum, reprehensibilium, variis erroribus refertorum, insulsorum, ab Ecclesiasticâ gravitate alienorum, detestabilium, multitudine, quæ in Missalia se olim insinuaverat & ideo jure meritissimo antiquata est, (utinam & cæteri, non minus in sese erroris complectentes, Apostolicis institutionibus & traditionibus patrum adversi, simul essent antiquati!) confessionem ab homine, Romanis sacris dedito, immò ad cardines Ecclesiæ sedente, expectare possemus? Digna sunt & reliqua, quæ legantur, quæ omnia memorabili sententiâ concludit: *Debet igitur unaquæq; Ecclesia custodire ritus suos, sed receptos à majoribus, longoq; usu præscriptos & legitimâ autoritate approbatos. Si quid verò innovatum, si quid perperam immutatum, id expungendum & corrigendum est.* (N.) Id fecerunt utiq; Lutherani, dum ritibus nonnullis, perperam ab antiquo illo tempore immutatis & neque Scripturæ, neque veteris Ecclesiæ auctoritatem habentibus, substituerunt similes quidem, sed defecatos. Quamobrem si quid ex verbis Confessionis nostræ consensus inter nos atque Romanos exculpi debet, hac ille, nec aliâ, Thesi repræsentabitur: Ceremoniæ Missaticæ, quam-

(N) I. R. L. VI. §. III.

qvam usitatæ, si tamen neqve Scripturâ nec patrum in purioribus seculis auctoritate nitantur, sintqve adeò vel erroribus vel ineptiis conspersæ, antiqvandæ sunt & in similes, nihil erroris, nihil reprehensionis habentes, immutandæ. Qvâ in re cum Pontificiis libentissimè conveniemus.

XIII. Cæterum qvod in primo consensus capite diximus, id & in præsenti meritò repetimus: nunqvam profiteri Confessores nostros: non esse abolendas usitatas Missæ ceremonias, sed id tantum exprimere, qvod non sint penitus abolitæ. De facto loqvuntur, qvid fiat apud Lutheranos, non de debito aut obligatione, qvid facere posthac velint debeantqve. Est enim hic articulus, saltem qvoad eam, qvam in ipsâ fronte gerit, partem, non doctrinalis, qvid credere de Missâ oporteat, informans, sed apologeticus, accusationem, Lutheranis intentatam, diluens atqve refellens. Ad criminationem verò illam: *Lutherani Missam abolent*; repellendam, suffecerat Confessoribus ostendisse, qvidnam hactenus in Missâ ejusqve ceremoniis retinuerint. Ex qvo tamen non seqvitur: ergo ad easdem ceremonias, posthac qvoqvè servandas, sese simul adstrinxerunt. Non enim ignotum est, etiam post oblatam Augustanam Confessionem in qvibusdam ritus suos Ecclesiasticos mutasse Lutheranos, im̃ò nec tum, cum oblata Confessio & hæc apologia edita est, ritus ubiqve eosdem fuisse; hoc ipsum nobis ad verba ista: *summâ reverentiâ celebratur*, objectante in Judicio suo Jo. Hoffmeistero: *Hæc*, inqviente, *forte Wittebergæ fiunt*, *sed qvid apud alios Evangelicos*, *& Lutheranos & Zwinglianos agatur*, *obscurum non est*. Et qvidem eopse tempore Lutherum Formulam Missæ edidisse, in qvâ Ecclesiæ Wittebergensi ritum Elevationis, (qvo fine? exponit loco paulò antea allegato *D. G. Calixtus*) commendaverit & Carolstadio, ritum hunc impugnanti, acriter restiterit, qvi tamen postea mutatus & abolitus est, αὐτοψίᾳ edocemur. Qvare & celeberrimus Librorum nostrorum Symbolicorum interpres, *D. Jo. Bened. Carpzovius*, observat, tum

tum temporis, qvando exhibebatur Confessio, in Protestantium Ecclesiis majorem similitudinem rituum nostræ & Pontificiæ Ecclesiæ ac hodie fuisse, qvando nimirum seqventi tempore plura immutata sunt & correcta. (O.) Tum enim virorum eruditorum studiis apertum magis magisqve factum est, formas Missaticas omnes, ipsumqve adeò Latinorum canonem, centones esse, ex precum, lectionumqve farragine, pro cujuslibet *privati Episcopi*, (P.) plerumqve etiam superstitiosi & ineruditi, *institutione* consutos. Non fuerant ab hac interpolatione liberæ vel ipsorum Apostolorum, si qvæ fuerunt, Liturgiæ, non Clementis, non Dionysii Areopagitæ, non Basilii, non Chrysostomi; qvi igitur hoc privilegium Romana sibi vendicare qveat? De omnibus verum est illud *Bonæ* judicium: *Nemo se continuit intra terminos, à majoribus constitutos, sed qvisqve addidit, qvæ sibi aptiora visa sunt, ad excitandam in se & in aliis pietatem.* (Q.) Unde tandem enata est *actio* illa *ceremoniosa*, qvo elogio Missam in Enchiridio insignit *Jo. Eccius.* Ceremoniarum mole & mysteriorum iis denotatorum multitudine, (qvam ad stuporem usqve qvidam olim *Jo. Creccelius* descripsit) ita turgida, ut jam olim Fabr. Capito scripserit: *Missæ neqve verba neqve gestus intelligi vulgò, immò ne mystagogis qvibuslibet.* (R.) Cognitis igitur magis magisqve Liturgiarum defectibus, seu, ut *Bonæ* verbo utar, *erroribus*, suosmet etiam ritus Lutherani procedenti tempore, rejectis supervacuis & inutilibus, reddiderunt emendatiores. Qvæ res ad eam indignationem provocavit Tridentinos, ut in Lutheranos, causati eos docere, reprobatas à se *ceremonias magis esse irritabula impietatis, qvam officia pietatis*, (qvod tamen qvare meritò dixerint, in Examine (S.) solidè expositit *Chemnitius*) anathematis fulmen intorserint. Si igitur Lutherani

(O.) Isag. in LL. S. p. 647. (P.) Ita denuò *Bonæ*, l. R. L. XII. §. II. (Q.) l. R. L. IX. §. II. & III. (R.) Resp. de Miss. p. 111. (S.) De Miss. p. 361.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0023

rani etiam post exhibitam Aug. Confessionem ritus suos circa Missam, nemine ex Adversariis ideò defectum ipsis ab Aug. Confessione objectante, libere mutarunt, nonnullos rejecerunt, alios receperunt, qvomodo pars esse potuit publicæ fidei professionis: *non esse abolendos ritus ordinarios, qvi usurpari solent ad dicendam Missam?* Ut adeò & hic sole meridiano clarius sit, nullum esse in hoc capite nos inter & Pontificios consensum.

XIV. Succedit qvartum consensionis caput, qvod hunc in modum proponit Dezius: *Conveniunt Catholici & Protestantes, posse cantari apud Missam ad solatium populi cantilenas qvasdam sacras in vulgari lingvâ, dummodo illæ ab Episcopis sint approbatæ.* Ad comprobandum hunc consensum adducuntur verba Apologiæ Aug. Confessionis, qvæ ita habent: *Latinam lingvam retinemus propter hos, qvi Latinè discunt atq; intelligunt; & admiscemus Germanicas cantiones, ut habeat & populus, qvod discat & qvo excitet fidem & timorem.*

XV. Qværere *à Dezio* ante omnia liceat, cur cum in tribus præcedentibus punctis ex propositionibus Librorum nostrorum Symbolicorum, nuda circa praxin religionis nostræ facta referentibus, dogmata Lutheranorum practica extruxerit, utpote ex verbis: *retinetur Missa apud nos:* On doit le mot de Messe retenir; *debet nomen Missæ retineri?* Ex verbis: *Missa summâ reverentiâ celebratur:* On doit celebrer la Messe avec beaucoup de respect; *debet celebrari Missa cum summâ reverentiâ?* deniqve ex verbis: *Servantur apud nos usitatæ ceremoniæ:* Il ne faut point abolir les ceremonies; *Non oportet abolere ceremonias?* Cur, inqvam, tam subitò nunc mutet stylum & ex historicâ pariter narratione: *admiscemus Germanicas cantiones*, non qvid fieri debeat, sed qvid fieri liberrimè possit, colligat: On peut chanter qvelqves cantiqves; *Possunt cantari qvædam cantica?* Aut si rectius ex postremis his verbis ratiocinatus est, ut utiqve eundem feciisse minus qvam de prioribus dubitari potest, cur non & idem

institu-

institutum in illis ipsis anterioribus sit secutus ? Dicam igitur, qvid *Dezim* commoverit, nec credo, eundem saltem scposito arbitro id negaturum esse. Nempe si consentire utramqve partem in hoc tantum, ut possit Missæ nomen usurpari & retineri in celebrandâ Missâ usitatæ ceremoniæ, dictatum fuisset, parum id eqvidem feciſſet aut nihil ad commendandam Missam, svadendumqve ad eandem reditum. Qvantulum enim, rogo te, est, posse hæc retineri, cum eoipso possint & aboleri & rejici ? Majus igitur pondus addendum proposito dicendumqve fuerat: retineri ista oportere. Qvo jam dignitas & veneratio Missæ major manifestè conciliata est. Ita enim & Missæ vox, in Romano sacrificio usitata, qvæ in desvetudinem ex longo tempore abiit, revocanda & ceremoniæ qvoqve apud Pontificios usitatæ, postliminiò restituendæ fuerint. Qvod si parem in modum dixisset *Dezius* : debent in officio Missæ cantari etiam cantica, vernaculâ lingvâ concepta ; qvid nisi propriam reprehendisset Ecclesiam, qvæ & ex longo, qvousqve memoria ascendere poterat, seculorum decursu id nunqvam & nullibi fecerat, & nec tum qvidem faciebat, nisi qvibusdam tantum in locis. Ita enim is ipse, qvem jam supra adduximus, *Thomas Heinrici* : **Dieſes geſchicht auch in etlichen Catholiſchen Orten / daß Teutſche Geſänge neben dem Lateiniſchen under der Meß geſungen werden. Und darumb wann die Lutheraner in dieſem bey Jhrer Confeſſion bliben / hätten wir diß Orts keinen Streit mit einander.** (T.) Jam verò ubi dixerit Dezius: posse Missæ celebrationi admisceri cantiones qvoqve vernaculas, Ecclesiam suam nobiscum conciliavit, si vel nullibi unqvam in Romanâ Ecclesiâ audiatur, dum canitur Missa, in vernaculo sermone canticum. Qvod enim fieri potest, potest & omitti. Tantum igitur per hoc addidit *Dezius* consensui nos inter & Romanos ineundo momentum, qvantum futurum fuisset, si dixisset: potest, dum Missa celebratur, fidibus qvo-

(T.) Iren. Cath. p. 389.

qve & organo ludi. Possunt lumina in altari accendi. Possunt cancelli vel claudi vel aperiri. Possunt diversarum religionum spectatores admitti & tolerari. Qvibus omnibus ex *Dezii* mente subjici pariter debet: dummodo hæc ab Episcopis sint approbata. Qvam verò appendicem cur Lutherano consensui annectat, ne cogitando qvidem potest penetrari.

XVI. Nunc regredimur ad rem ipsam. Ostensum in primo atq; tertio consensionis membro est, Aug. Confessionis verba, qvæ pro fulcro ejusdem supponuntur, de merâ re facti loqvi atqve adeò obligationem debitumq; nullum, perpetui dogmatis ad instar, involvere, ut contrarium potius clarissimis argumentis insinuent. Nunc in præsenti membro oppositò sese modo omnia habent. Ita enim Aug. Confessio, ejusqve Apologia de facto suo, seu de admistis celebrationi Missarum suarum Germanicis cantilenis testatur, ut solidis simul argumentis evincat, officium Christianorum esse, neqvaqvam in ipsorum libertate positum, ne, ignotâ universo auditorio lingvâ sacra celebrentur. Qvare Latinâ se lingvâ uti profitentur Confessores, *propter hos, qvi Latinè discunt & intelligunt*, Germanicâ verò ob imperitum populum, in mysteriis docendum atqve erudiendum. Probantqve partim auctoritate Apostoli, qvi jubeat uti in cultu Divino exercendo, ad qvem tanqvam eximia pars & Sacramentorum administratio pertineat, vulgari lingvâ, aut si peregrinis celebret lingvis, ob eos, qvi earum sunt periti, ob reliqvos tamen imperitos statim interpretari; eosqve, qvi secus faciant, magnæ absurditatis coarguat; (U.) partim ex ipsâ rituum omnium naturâ & indole, qvi ad hoc unum conducant, ut doceant imperitos & ad fidem pariter atqve timorem DEI inflamment. E qvorum numero ritus Sacramentarii excludi ideò non possunt, qvia sacramenta non sacerdoti tantum conficienti, sed præcipuè populo communicanti, qviqve adeò sum-

(U.) 1. Cor. XIV. 6. 9. f.

ſummam ex prælectione ſacrorum, adjunctisq; canticis devotionem haurire, animumqve ad tanti myſterii perceptionem ritè parare debet, adminiſtrantur. Adeò verum hoc eſt, ut & contra voluntatem ſuam fateatur Tridentinum Concilium, ceu in Examine annotavit *Chemnitius.* (*) Qvinimò ſi Miſſa vel ſolius foret ſacerdotis actio, utilitasqve inde ad Eccleſiam, lingvæ, qvâ illa celebratur, ignaram; ut volunt Romanæ Eccleſiæ doctores, nihilominus redundaret, Eccleſiæ tamen totius intereſſet, ſacra celebrari lingva, à toto populo intellectâ. Qvam in rem hiſtoriam referam, jam olim à me obſervatam, deſcriptam viro, ſuperiore ſeculo à rectis variis in Miſniâ ſcholis non incelebri, cui nec ipſos, qvi Romanarum partium ſunt, fidem denegare vel poſſe vel velle, qvippe cujus rei rationem nullam habent, illo cumprimis tempore, qvo concubinatus Sacerdotum qvotidiani moris erat, nec aliarum etiam religionum ſacerdotes flagitia nonnunqvam patrare inſolens ſit, planiſſimè ſum perſvaſus. Eſt is *Jo. Rivius*, Athendorienſis, is ipſe, qvem *Thuanus* ob eruditionem & in officio induſtriam, ut immortali ſuo operi inſereret, dignum æſtimavit, (X.) libro: *qvo ſe pacto juventus in hiſce religionis diſſidiis gerere debeat?* ad Joannem & Hieronymum Filios. Ita ille, qvamqvam verbis prolixioribus: (Y) *Narrabo rem paucis ante annis geſtam, unde qvod dico, planum & perſpicuum fiat. Erat è Pontificio grege qvidam in hac ditione Paſtor, cujus nomen, qvoniam adhuc vivit, ut opinor, non edam, qvod id contumeliæ potius in tali mentione qvam honoris causâ fieri putaretur. Hic qvum propter & vitæ turpitudinem & incredibilem ruditatem ac inſcitiam rerum ſacrarum loco motus eſſet, qvem tueri non poterat, & alius magis idoneus ejus in locum ſublectus, qvi gregi Dominico rectè atq; utiliter præeſſe poſſet, venit ad me domum negotii cujusdam gratia. Inter cætera rogabam, qvoniam annos ſupra triginta concubinam aluiſſet, ex*

(*) Ad cap. IIX. de Miſſ. p. 360. (X.) Lib. XII. p. 257. (Y.) Liber editus eſt Baſileæ, a. 1546. Habentur hæc p. 92. ſ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0027

eâq; jam grandes natu liberos aliqvot suscepisset, in eâ vitâ an seriò unqvam & verè atqve ex animo ipsum libidinis flagitiosæ pœnituerit? Respondet, pœnituisse nonnunqvam, velut in Feriis Natalis Domini aut Paschæ, ibi se per aliqvot noctes secubuisse. Qværo inqvam, verène tandem flagitii istius pœnituerit & an precibus, lacrymis, fletu, gemituq;, veniam ejusdem à DEO petierit, idq; suscepto castè posteà vivendi proposito & animo commutandæ in melius vitæ & jam respiscens an exegerit à se repudiaritq; concubinam, nunqvam illam recepturus? Negat. Qvid ergo, inqvam, cottidie ferè rem Divinam facere ac vesci pane Dominico & bibere poculum sacrum non dubitasti, tanti peccati conscius? Non metuisti, ne terra tibi debiscceret ac vivum absorberet? Qvum instarem atq; urgerem, fassus tandem est, se omissis, qvibus Sacramentum conficitur, verbis, nihil consecrasse, ne indignè corpus & sangvinem Domini sumeret. Qvid ais? Id qvod verum, inqvit. Heu, tunc inqvam, tam horrendum & inauditum antea facinus committere ausus es? Tune tam execrandæ idololatriæ velut ansam, ut sic dicam, præbuisti? Populus te & panem & calicem elevante supplex in genua procumbit ac humi prosternitur & passis ante aram palmis, tunso pectore colit & adorat; qvidnam? Horresco referens. At tibi pro scelere hoc, inqvam, pro talibus ausis, debitum aliqvando præmium DEus, ni respueris, persolvet. Qvid multis? Qvum acerrimè verbis hominem castigarem, qvi qvidem vinclis potius & carcere castigandus erat, rem extenuare cœpit, communicandâ cum aliis culpâ, qvi & ipsi similiter facerent, nec tam grande id esse crederent nefas, qvam mihi videretur. Vide qvo ignota populo in administrando lingva seducat? Qvamqve interfit totius universitatis nosse, qvid vel murmuret vel pronunciet is, qvi sacra facit?

XVII. Nos interea occasione eorum, qvæ à nobis dicta sunt, fragili isti & generalissimo *Dezii* consensui dissensiones addemus, ex iis, qvæ ab Aug. Confessione circa lingvam in sacris vulgarem & peregrinam solidè verissimeqvè disputantur,

tantur, collectas. I. In Missarum celebratione non possunt tantum, sed debent cani cantilenæ in vulgari lingvâ, non ad solatium tantum, sed & ad eruditionem populi facientes; *cum Missa contineat magnam populi fidelis eruditionem*, juxta Conc. Trid. II. Ubi non sunt auditores, Latinæ lingvæ gnari, ibi Latinæ cantilenæ ad Missam cani planè non debent; qvia juxta Apostolum *in ventum loqvitur, qvi non intelligentibus loqvitur.* III. Ipsa Missa, qvæ nonnisi ob communicantes conficitur, ad illos de hoc mysterio informandos, eorumqve devotionem excitandam, non aliâ nisi vulgari lingvâ celebrari debet. Qvæ dissensiones longè sunt gravioris momenti, qvippe fundamentis immotis & ad pietatis nervum & qvasi medullam ducentibus nixæ, qvam is, qvi venditabatur, fuerat consensus.

XIIX. Qvintum Deziani consensus membrum his verbis incedit: *Catholici & Protestantes conveniunt, qvod sacrificium in genere sit signum reale, qvo reipsâ profitemur, nos credere, qvod DEus in mundo habeat absolutum dominium & qvod sit magnus Dominus vitæ & mortis.* Probando huic consensui adducuntur verba Wallemburgiorum ex Vasqvetii Compendio Controversiarum: *Sacrificium est nota, existens in re, qvâ profitemur DEum authorem vitæ & mortis.* Itemqve Apologiæ Aug. Confessionis, articulo de Missâ: *Sacrificium est ceremonia vel opus, qvod nos reddimus DEO, ut eum honore afficiamus.*

XIX. Viam parare hac sibi propositione intendit *Dezius* ad id, ut ostendat, non doceri tantum à Pontificiis, sed & concedi à Lutheranis, dari in Eucharistiâ & sacramentum & sacrificium. Dari nempe non nobis tantum aliqvid in sacramento, sed & à nobis vicissim aliqvid reddi DEO in sacrificio. Noverat autem, grande esse inter utramqve sententiam discrimen. Docent Pontificii, ordinasse Christum, ut sacrificium in Eucharistiâ præcederet, seqveretur Sacramentum, materiâ, qvæ in Sacramento comederetur & bibe-

retur, ex sacrificio desumptâ. Negant hoc Lutherani, neqve qvicqvam tale in mentem venisse Christo contendunt. Docent Pontificii, hoc sacrificium esse sacrificium propriè dictum, in vivâ mortis Christi per separatam consecrationem repræsentatione & præsentiâ ipsius Christi, per transsubstantiationem panis & vini effectâ, consistens. Negant hoc Lutherani, cum hujus repræsentationis & transsubstantiationis nec vola nec vestigium ullibi in sacris compareat, nec fingere ejusmodi qvicqvam citra & contra instituentis voluntatem liceat. Docent Pontificii, sacrificium istud verè proprieqvè dictum ad essentialem totius Eucharistiæ complexum pertinere & præcipuam eminentissimamqve ejus partem, imò totius religionis acropolin constituere. Negant hoc Lutherani, dicuntqve, sacrificium tale, præter voluntatem verbumqve DEI ex proprio ingenio confictum, abominationem potius esse coram DEO, qvam verum DEI cultum. Docent Lutherani, ut Sacramentum salutariter accipiatur, necessariam esse mortis Christi, factam ex ipsius mandato, memorationem, fideli mente peractam, qvæ memoratio, qvia nihil aliud est, qvam devota apprehensio beneficiorum, morte nobis Christi partorum, qvâ mortem Christi inter nos & DEum interponimus, ei pro tanto munere, in Sacramento nobis obsignato, submissas gratias agimus & gratæ menti testandæ nos ipsos, animam corpusqve nostrum DEO in servitium damus, sacrificium spirituale est, non ad essentiam aut partes Eucharistiæ, sed ad finem, usum & fructum ejus pertinens, qvo absente Eucharistia nihilominus in essentialibus integra est, non minus ac Baptismus verus ac integer est, qvi infideli adulto administratus fructu suo caret. Hoc solum impropriè dictum & spirituale sacrificium in Eucharistiâ juxta Lutheranos reperitur, non aliud verum proprieqvè dictum. Negant hoc Pontificii & hoc sacrificium minimi pretii præ illo superius enarrato æstimant. Docent Pontificii, sacrificium, in Eucharistiâ ex institutione Christi à solo sacer-

sacerdote offerri, non à communicante. Negant hoc Lutherani, cum spirituale sacrificium tam communicanti competat, qvam sacerdoti. Ecce tot ac tanta sunt momenta, in qvibus circa ipsam rationem, naturam & indolem Missæ, qvâ sacrificium est, discordant Pontificii & Lutherani. Jam si ponamus, qvo unicè tendit *Dezius*, utramqve partem in eo nihilominus convenire, qvod detur aliqvis generalissimus sacrificii conceptus, qvi sit opus DEO redditum in honorem ipsius, atqve tale qvoqve opus in Evchariſtiâ reperiri, rogo te per DEum immortalem, operæne pretium est, tantillæ convenientiæ meminisse? Lucrabunturne aliqvid Pontificii ex eo, qvando Missæ relinqvitur sacrificium, qvale in omni opere, qvalecunqve illud sit, etiam minimo, etiam contemptissimo, qvippe in honorem DEI facto, (Z.) conspicitur? Qvantulum hoc tribuet ad illustrissimam illam, vastis librorum voluminibus prædicatam, Missatici sacrificii præ omni alio Divino cultu magnificentiam? Cur verò non consensus in eo etiam qværitur, qvod Missa sit actio à DEO præcepta? Ecclesiastica? Mysterio plena? Itane eximium qvid erit, si Socinianus, dissensum suæ religionis à Romanâ mitigaturus, glorietur in eo conveniri, qvod Christus aliqvo saltem sensu sit DEus, qvod aliqvâ ad minimum ratione redemerit mundum? Cum generalem illam, qvod & in Missâ evidentissimè sit, convenientiam specialis illa, tam gravis, tamqve multiplex, ipsam rei intimam substantiam attingens, dissensio penitus absorbeat, perimatqve.

XX. Jam ipsa Deziani consensus formula adeò intricata, adeò involuta est, ut qvo illa tendat, neqveat penetrari. Primum enim pervideri neqvit, utrum, cum sacrificium in genere definit, abstrahat à speciebus sacrificii, propriè sic dicti, utpote holocausti, pacifici, similisqve, an verò à specie etiam impropriè acceptâ, velitqve adeò repræsentare conceptum sacrificii generaliorem, qvi etiam spirituale sacrificium sub

(Z.) Col. III. 17.

sub ambitu suo complectatur? Prius si dixeris, utraqve, qvam ex Walenburchiis atqve Vasqvetio, itemqve ex Apologiâ Aug. Confessionis dedit, sacrificii descriptio adeò lata est, ut & sacrificia impropriè dicta manifestè comprehendat. Cum enim votum DEO persolvo, utpote templi vel altaris erectionem, aut anathemata in loco sacro suspendo, eò qvod ex vitæ me periculo DEus eripuit, reale signum pono, qvo ipso facto profiteor, DEum esse absolutum vitæ mortisqve authorem, qvi cum me neci tradere potuisset, restituerit vitæ. Et tamen hæc signa non sunt sacrificia propriè dicta. Ita martyrium & qvælibet alia in summis calamitatibus patientia reale signum est, qvo ipso facto profiteor, DEum in mundo habere absolutum dominium in vitam mortemqve meam, qvam vel inferre qveat vel propulsare, & tamen hæc patientia non nisi sacrificium est impropriè dictum. Si verò Apologiæ descriptio respiciatur, ea si ad sacrificium proprie dictum sufficiat, omnis ceremonia sacra, utpote freqventatio templi, auditus verbi Divini, precationes ad DEum directæ, sacramentorum usus, opera omnia ad primam tabulam spectantia, certis cum ceremoniis peracta, & infinita talia sacrificia erunt propriè dicta. Qvæ absurda esse nemo non videt. Posterius verò si dixeris, non apparet, cur sola signa juxta Vasqvezium realia aut juxta Apologiam ceremonialia in censum sacrificiorum, sivè propriè sive impropriè dictorum, venire debeant, cum id nominis, etiam Scripturæ phrasi sortiantur qvæcunqve aliæ hominis sive actiones sive passiones, ad obseqvium DEO qvocunqve in casu præstandum directæ. Non igitur asseveranter qvis dixerit, in qvanam sacrificii definitione convenire Lutheranos cum Pontificiis voluerit *Dezius*.

XXI. Deinde cum convenire Lutheranos cum Pontificiis ait *Dezius* in eo, qvod Sacrificium sit signum, qvo reapse profitemur, DEum absolutum esse vitæ mortisqve Dominum, vereor, ne ex qvoqvam Lutheranorum id comprobare

bare possit. Non qvod illi negent, in sacrificio agnosci DEum vitæ mortisqve auctorem, (agnoscitur enim sub omnibus iis perfectionibus & nobilitatibus, qvæ DEO, ut DEO, competunt) sed qvod inficientur, partim in sacrificio eò unicè & immediatè respici, cum v. g. in sacrificio Eucharistico respexerint offerentes primò & immediatè honorem, DEO pro acceptis beneficiis reddendum, neq; eo casu magis animum eorum subintraverit agnitio absoluti DEI in vitam mortemqve imperii, qvam agnitio aliarum proprietatum Divinarum, utpote immensitatis, infinitatis, æternitatis, itemq; provisionis rerum omnium, universalis mundi gubernationis, cæterarumqve; partim qvod hic agniti absoluti imperii respectus non ita sacrificio sit proprius, ut per eundem describi & ab aliis rebus secerni qveat. Ceu enim jam supra à me dictum est, sunt & alia signa realia, sunt & ceremonialia, sunt & verbalia, qvibus agnitio ista, cum sacrificia tamen non sint, intimè innexa est. Vellent hanc dignitatem Romanæ Ecclesiæ scriptores Missatico sacrificio ita reddere propriam, ut ideò solus hic actus sacrificialis nemini nisi DEO soli convenire, cæteri actus religiosi cultus exteriores omnes DEO cum creaturis possint esse communes, qvâ ex re inæstimabilis excellentia Romanorum judicio Missatico sacrificio accresceret; sed qvam infirmis nitantur argumentis, suo loco à me ostensum est pluribus, (Aa.) ut adeò actum nunc agere non sit necesse.

XXII. Postremò omnium minimè vel cogitando qvis assequi valet, qvo pacto idem aut dicere aut velle cum Vasqvetio, Apologia Aug. Confessionis pronunciari qveat? Hæc enim finis illius, sacrificio juxta Romanos essentialis, qvi est recognitio summæ in DEO majestatis, nec verbo ullo nec sensu meminit & præterea in verbis adductis id tantum agere instituit, ut Sacramentum à sacrificio generali aliqvâ ratione secernat, qvâ utrumqve qvidem sit vel ceremonia vel

(Aa.) Supra c. II. §. XIV. & seqq. Itemqve toto cap. III.

opus, sed Sacramentum tale, qvo DEus nobis aliqvid, utpote beneficium qvoddam, Sacrificium, qvo nos DEO aliqvid, utpote honorem, reddamus. Ex qvo nempe concludit, Eucharistiam ex instituto Christi, si essentialia ejus intueamur, non esse sacrificium, qvia nullum ullibi compareat indicium, nos in eo reddere aliqvid DEO debere, sed sacramentum, qvippe cum omnia in institutione verba clament, consecrari ideò symbola, ut illa & per illa Christus corpus sangvinemqve suum nobis reddat comedendum atqve bibendum, idqve ad remissionem peccatorum nostrorum. Si verò accedat fidelis memoratio mortis Christi, ad tantum epulum fructuosum nobis reddendum, sacrificii qvidem hanc nomine, sed improprio & figurato, qvodqve Sacramenti ipsius naturam nullo modo ingrediatur, venire posse. Qvod si Apologiæ cum Vasqvetio concordia in eo consistere dicatur, qvod honori, DEO reddito, agnitio summi DEI imperii, qvippe qvi sit honor DEO soli proprius, involvatur, tum meritò regeritur, partim illicitam esse à genere ad speciem collectionem, partim Apologiæ particularem illum honorem in mentem non venisse, qvippe cui suffecerit ad sacrificium qvaliscunq; honor, DEO vel per gratiarum actionem, vel per peccati agnitionem, vel per voti alicujus persolutionem, vel qvacunqve aliâ ratione exhibendus, partim deniqve non qværi, qvid in omni cultu Divino ultimò respiciatur, ut nempe agnoscatur & celebretur suprema DEI majestas, sed qvid proprium sit sacrificio, qvidqve illud in DEO, imperium summum & ἀνταπόδοτον habente, primò & immediatè honorare intendat. De qvo verò paulò ante fusius à me dictum est.

XXIII. Accedimus nunc ad sextum, qvod *Dezius* facit, consensionis membrum, his verbis ab ipso propositum: *Catholici & Protestantes conveniunt, qvod sacrificium crucis duplici modo sacrificium unicum appellandum sit; primò qvia unicum præcipuum & perfectissimum omnium sacrificiorum est, qvæ unqvam fuerunt, dum omnia reliqva ante hoc sacrificia ad hoc esse*

sese retulerunt, ut figuræ solent & imagines ad exemplaria sua. Deinde, qvia est unicum sacrificium, qvod meruit redemptionem hominum plenam & perfectam atq; satisfecit abundantissimè justitiæ DEI pro peccatis. Unde sequitur, qvod nonnisi semel offerri debuerit, id est, qvod non sit necessarium, sive ut hic ipse JEsus Christus moriatur bis, qvasi prima mors ipsius non meruerit & satisfecerit sufficienter, sive ut alius aliqvis Christus moriatur pro nobis. Qvin potius Catholici & Protestantes summo consensu docent cum S. Paulo, non tantum, qvod JEsus Christus eos, qvos sanctificavit, per unum sacrificium in omnem æternitatem perfecerit; qvod per illud ipsum sacrificium, dum corpus suum semel sacrificavit, sanctificaverit; qvod semel oblatus sit ad multorum peccata abolenda; & qvod semel tantum apparuerit ad destruendum peccatum, dum semetipsum obtulit in victimam: sed defendunt illi præterea, qvod reapse semel tantum mori & in cruce sese offerre debuerit & qvod nullum aliud sacrificium nobis potuerit promereri remissionem peccatorum. Adducuntur hanc in rem partim Scripturæ dicta, qvorum verba allegata sunt, Hebr. X. 14. 10. IX. 28. 26. 25. partim nonnulla auctorum loca; utpote ad id, qvod Christus sit unicum sacrificium perfectum, Cardin. Richelius, in Methodo lib. IV. c. V. & Wallenburchii in Compendio controversiar. c. XXXIIX. Veronius item in in Regulâ Fidei, cap. XIV. Ad id verò, qvod unicum Christus dicatur sacrificium, qvia unicè plenam perfectamqve nobis promeruerit redemptionem, eosdem laudat auctores & insuper Bellarminum ex lib. I. de Miss. c. XXV. ubi hæc habet: *Sacrificium crucis remisit omnia peccata, præterita, præsentia & futura; siqvidem pretium acqvisivit sufficientissimum pro peccatis totius mundi: & ideò illo sacrificio peracto & peccatis remissis, non restat ulla similis oblatio pro peccato, id est, pro acqvirendo pretio ad remissionem peccatorum.* Deniqve ad ultima verba, qvod nullum aliud sacrificium nobis potuerit promereri remissionem peccatorum, denuò Bellarmini ex eodem libro & capite verba producit: *Fatemur, sacrifici-*

um crucis vim habere infinitam & sempiternam ad sanctificandum atq; inde seqvi concedimus, non esse opus alio sacrificio crucis, aut ejusdem sacrificii crucis repetitione, id est, non esse opus, ut alius Christus moriatur pro nobis, aut ut idem Christus sæpius moriatur.

XXIV. Nempe declinare hoc pacto nititur *Dezius* objectionem, Missatico sacrificio ex iis Epistolæ ad Hebræos testimoniis oppositam, qvæ semel tantum & oblatum seu sacrificatum esse Christum & semel tantum offerri atqve sacrificari debuisse affirmant. Ex eo enim seqvitur, non vel posse eundem vel debere pluries in Missâ offerri, qvod tamen facit Romana Ecclesia. Mitigat *Dezius* hanc pugnam, dicendo, conveniri in hoc, qvod semel tantum offerri debuerit Christus moriendo, eum in finem, ut satisfaceret pro peccatis & redemptionem humano generi promereretur. Qvo scilicet pacto non amplius offeratur in Missâ, qvippe in qvâ neq; moriatur iterum, neq; satisfaciat; sed præstitam morte qvondam suâ satisfactionem nobis duntaxat applicet. Qvæ cum communis sit omnium Pontificiorum sententia, non satis clarum est, qvare doctores Romanos tam operosè alleget *Dezius*. Verumenimverò non negatur à nobis, convenire vel hactenus cum Lutheranis Pontificios, qvod semel Christus mori debuerit & satisfaciendo nobis promereri salutem. Huic verò convenientiæ, qvæ ad sacrificium Missæ nihil planè confert, adjungenda statim fuerat *à Dezio* altera disconvenientia, cujus Apostolica & adeò verior sententia illud evertit. Nempe; Christus semel tantum oblatus est pro peccato; &; Christus qvotidie offertur pro peccatis. Prior est Apostoli & Lutheranorum, eaqve sine omni limitatione & restrictione: *sacrificium semetipsum obtulit pro peccatis populi semel.* (Bb.) *Sacrificium semel obtulit sui corporis. Semel apparuit per sacrificium sangvinis sui.* Posterior Pontificiorum est, his Apostolicis directè oppositа: Christus semetipsum offert

(Bb.) Hebr. VII, 27. Ita qvoqve Hebr. IX. 26. 27. X. 10. 12. 14.

fert pro peccatis populi sui in Missâ non semel, sed sæpius. Sacrificium in Missâ non semel, sed qvotidie offert corporis sui. Non semel, sed qvotidie apparet in Missâ per sacrificium sangvinis sui. Nec excipi potest, qvamqvam Apostolicæ propositiones ipso verborum positu in locis adductis limitatæ non sint, limitatas tamen sensu esse, qvi subinde ab Apostolo alibi exprimatur, dum peccata nostra pertulisse Christus in corpore suo super ligno, dum passus & mortuus esse ob peccata nostra, dum vitam pro nobis profudisse atq; hac ratione, ut agnus Paschalis, sacrificatus esse dicatur. (Cc.) Nam propositiones istæ non contrahunt & limitant sacrificium Christi ad hanc sacrificii speciem, qvæ patiendo & moriendo perficitur, qvasi daretur & alia sacrificii species, qvæ perfici sine passione & morte posset, qvam tota ignorat Scriptura, sed causam potius reddunt, cur oblatus in sacrificium fuerit Christus? h. e. sacrificium ab uno formalium suorum actuum describunt, qvi juxta cum aliis fecerit, ut sacrificium esset sacrificium & sine qvo sacrificium esse non potuisset. Patet hoc evidentissimè ex illo Apostoli loco, ubi probaturus, Christum non debuisse ad morem Sacerdotum V. T. sæpius semetipsum offerre, ἐπεὶ, inqvit, ἔδει αὐτὸν πολλάκις παθεῖν ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, *alioqvin oportuisset ipsum sæpius pati ab origine mundi.* (Dd.) Argumentatio Apostoli hæc est: Qvicunqve non patitur sæpius, ille non offertur sæpius, qvia passio nimirum ad sacrificii formam spectat. Christus non patitur sæpius. Ergo non offertur sæpius. Fortior igitur per adjectam sacrificio passionem & mortem pugna inter propositiones, Apostolicam & Romanam, redditur, non diminuitur & lenitur. Si dixeris: loqvi Apostolum de oblatione cruentâ, qvæ sine passione esse neqveat, atqve adeò non excludere incruentam; tum respondebitur, ab illimitatâ & indefinitâ Apostoli propositione: *Christum semel tantum oportuit offerri*, tum nos recessuros esse, si incruentum sacrificium immotis

(Cc.) I. Petr. II. 24. Es. LIII. 5. 10. 12. I. Cor. V. 7. (Dd.) Hebr. IX. 26.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0037

fuerit rationibus probatum. Id priusqvam fiat, religio nobis erit, Apostolum aliter intelligi ac locutus est, id est, universim & illimitatè.

XXV. De sacrificio crucis Christi, remissionem nobis peccatorum in solidum promerente, alibi dicendi locus erit. Nunc enim suffecerit, in docendâ unitate sacrificii Christi juxta Apostoli sententiam διϛ ἀφ' ἁπάντων dissidere Pontificios & Lutheranos. Qvod verò primum illum modum, qvo sacrificium Christi unicum esse dicitur, concernit, qvâ scilicet unicum idem est ac præcipuum, ad qvod reliqva sacrificia omnia, ut imagines ad typum suum, respexerunt, is qvamqvam de reliqvo adversus nobis non sit, ad illam tamen unitatis rationem, de qvâ toties agit Apostolus & cui oppositum esse Missæ sacrificium profitemur, non accedit, multò minus eandem absolvit, ceu ex iis, qvæ præcedente paragrapho disseruimus & ex ipsâ locorum inspectione, qvæ τὸ: *semel*, semper τῶ: *sæpius* opponunt, clarissimè enitescit.

XXVI. Novum nunc exurgit, idqve septimum, consensionis in hoc argumento membrum: *Catholici*, inqvit Dezius, *& Protestantes conveniunt, qvod neqve ad justificationem neqve ad salutem perveniamus, nisi meritum & satisfactio morientis in cruce Christi nobis applicetur. Tanta malorum Christianorum copia qvotidie se in damnationem præcipitat, neqve verò id fit ob defectum magni hujus sacrificii, qvippe cujus virtus plusqvam sufficiens est & infinita, sed qvia virtus illa ipsis non est applicata. Qvacunq; præstantiâ prædita fuerit medicina, non tamen medetur iis, qvi eandem renuunt adsumere.* Allegantur hanc in rem verba Bellarmini ex libri primi de Missâ capite vigesimo qvinto, qvæ & superiori membro subjecerat.

XXVII. Eqvidem nullâ in re, præterqvam in hac, verior est Lutheranos inter & Pontificios consensus, sed qvi articulum de Missâ non attingit, neqve pars ejus est, qvod vel ex nudâ lectione patescit. Poterat *Dezius*, si eidem voluisset instituto insistere, consensionis suæ numerum & hoc amplificare

ficare articulo : Catholici & Proteſtantes conveniunt, qvod nulla applicandi ſacrificium crucis Chriſti remedia præterqvam ea approbanda ſint, qvæ in verbo DEI â medico animarum noſtrarum hunc ipſum in finem nobis ſunt revelata & præſcripta. Multi ægroti moriuntur, qvi qvamqvam medicinam aſſumant, probatam tamen ab artis peritis non aſſumunt, contenti eâ, qvæ ipſis à credulo & ſuperſtitioſo vulgo eſt commendata.

XXIIX. Nos interim ad octavam conſenſus particulam audiendam accingimur, de qvâ hunc in modum Dezius: *Catholici & Proteſtantes conveniunt, qvod JEſus Chriſtus in Eccleſiâ ſuâ diverſa conſtituerit media, qvibus uti qveamus ad applicanda nobis mortis ſuæ merita, veluti Baptiſmum, pœnitentiam, ſacramentum altaris, vivam fidem & ſimilia. Hæc media nihil derogant virtuti magni ſacrificii crucis, qvin potius applicando efficacem reddunt. Sacrificia V. T. conducebant ad hoc tantum, ut illam ipſam virtutem applicarent; & evidens eſt, ſi incruentum altaris ſacrificium non aliter ac ſacrificium applicatorium admittitur, non dari juſtam occaſionem ullam dicendi, qvod labefactetur virtus meritorum & ſatisfactionis JEſu Chriſti, in Calvariâ defuncti.*

XXIX. Migrat hic inſtitutum ſuum Dezius, nec conſenſum tantum, qvem putat, proponit, ſed & Lutheranam objectionem refellit. Conſenſum in eo repræſentat, qvod DEus conſtituerit media, qvibus meritum Chriſti nobis applicari poſſit, velut baptismum, pœnitentiam, aliaqve, qvæ nihil derogent ſacrificio crucis. Dicendum hic iterum eſt id, qvod de præcedenti conſenſionis particulâ judicavimus: articulum de Miſſâ hoc conſenſionis membrum non attingere, neqve partem ejus eſſe, qvod vel ex nudâ lectione pateſcat. An enim ideò Romani cum Proteſtantibus in argumento de Miſſâ conveniunt, qvia utraqve pars concedit, DEum ordinaſſe media, qvibus meritum nobis Filii ſui applicetur? Aut qvia concedunt Lutherani, applicari nobis merita Chriſti per

per sacramenta ex parte DEI & fidem ex parte hominis, ideò qvoqve largiuntur, eadem nobis applicari per Missam? Si dixeris, viam hoc pacto sterni ad consensionem; tum regeritur, viam nondum esse viæ terminum, nec per hanc viam magis effici, ut Lutherani vel credant vel credere cogantur, Missam esse sacrificium applicatorium, qvam tale qvid esse vel pœnitentiam vel baptismum. Non potest ostendi in ipso de Missæ dogmate qvicqvam, in qvo vi vel septimi illius, vel octavi hujus asserti Lutherani cum Pontificiis concordent. Qvod tamen ostensurum se esse in his ipsis punctis promiserat *Dezius*.

XXX. Deinde cum Missatico sacrificio objiciunt Lutherani, derogare illud perfectioni sacrificii crucis; hoc enim si pro peccato satisfecerit, æternamqve nobis promeruerit salutem, alio sacrificio opus non fore, aut si accedat aliud, indicium id esse, prius illud perfectum non fuisse; respondet *Dezius*: tum huic conseqventiæ locum fore, si Missaticum nobis sacrificium eâ ipsâ ratione, qvâ sacrificium crucis, promerendo, satisfaciendo, efficiendo, salutem procuraret, at cum id faciat tantum applicando & appropriando, *il est evident*, evidens est, inqvit, seu ut Germanicum habet exemplar: es ist Sonnenklar/ iniqvum esse dicere, qvod Missa deroget virtuti crucis Christi. Qvid dicemus ad hanc responsionem, ipsâ clarissimâ solis luce Lutheranos de injustitiâ collectionis suæ convincente? Proponemus I. *Dezio* tam similem præsenti inter nos controversiæ casum, qvam ovum est ovo. Titius à Cajo ob delictum captivus detinetur, capitis, nisi duo talenta solvat, damnandus. Sempronius intercedit pro ipso, numerat, solvitqve argentum. Non dimittitur Titius à Cajo, nisi idem argentum iterum iterumqve numeret Titius & solutione istâ denuò & satisfaciat & dimissionem suam promereatur. Causam facti sui reddit Cajus, qvia qvamqvam Sempronius per æris numerationem plenissimè perfectissimeqve meruerit Titii redemptionem,

nem, tamen repetitione numerationis illius, saltem imaginariæ & veræ solutionis repræsentativæ, redemptio semel acqvisita sit applicanda. Qvid tibi, vir bone, videtur de hac mimicâ & umbraticâ, sub applicandi specie factâ, solutionis repetitione? Tenetur homo infernalibus vinculis à DEO constrictus ob peccatum. Christus Patri suo satisfacit, solvitqve liberationis pretium. Non dimittitur tamen homo peccator à DEO, nisi ejusdem solutionis imaginariâ repetitione, qvâ tanqvam applicandi medio DEum propitiet, eidem satisfaciat & bona omnis generis ab eodem promereatur. *Sacrificium*, decernente ex sententiâ Concilii Tridentini Catechismo Romano, *non merendi solum, sed etiam satisfaciendi efficientiam continet. Nam uti Christus in passione suâ pro nobis meruit & satisfecit: sic, qvi hoc sacrificium offerunt, qvo nobis communicant Dominicæ passionis fructus, merentur & satisfaciunt:* (Ee.) II. Refragatur etiam ipsa dispositionum Divinarum humanarumqve natura, ut beneficia nobis parta per repetitionem illius ipsius medii, per qvod illa acqvisita sunt, nobis applicentur. Magno labore curâqve parens familiæ suæ divitiarum acqvirit thesaurum, qvem hæc perqvam absurdè eodem illo labore curâqve sibi applicaret. Sufficit enim sola ejus receptio & usus. DEus Pater in filios nos suos recepit per missionem Filii sui, ejusqve ex muliere generationem. (Ff.) Anne hujus beneficii participes reddimur per eandem missionem & generationem, utramqve propriè dictam, qvamqvam imaginariam & repræsentativam? Media, qvibus beneficia nobis applicantur, aut ex parte DEI sunt, aut ex parte hominis. DEus beneficia sua applicaturus, in nos aliqvid agit, nobisq; aliqvid impertit, per qvod beneficium & confert & obsignat. Ipsa hoc docet natura. Nam pater, qvi divitias liberis suis

(Ee.) Q. LV. de Sacr. Evch. Eandem meritoriam & satisfactoriam virtutem, ratione rei ipsius, per applicationem impetratæ, Missæ adscribunt *Jod. Loricb.* in Thes. p. 1415. *Toletus* in Instr. p. 87. *Bellarm.* II. de Miss. IV. §. Atqve hinc. (Ff.) Gal. IV. 4. 5.

comparavit, has iisdem confert vel convehendo vel tradendo in manus vel per codicillos describendo & assignando. Princeps feudum solenni proclamatione, diplomate item confert & sigillo. Ita DEus gratiam suam, merito Christi partam, verbi prædicatione & S. administratione Sacramentorum, tanqvam justitiæ signaculis. (Gg.) Ex parte hominis applicantur beneficia naturaliter haud aliter ac vel precibus & acceptatione, vel merâ acceptatione, prævia tamen pœnitentiâ & indignitatis suæ confessione. In adjecto enim contradicit, nisi terminis abuti velimus, beneficium alicui promereri & proprio merito illud impetrare. Jam sacrificium Missæ, qvâ sacrificium est, nec medium est applicandi ex parte DEI, cum in eodem non agat DEus cum homine, sed homo cum DEO; nec medium ex parte hominis, cum sacrificium, qvâ sacrificium est, nec pœnitentia fit, nec fides, nec oratio, qvibus solis obtinere homo beneficium à DEO potest. Si dixeris, hoc fieri per humilitatem, in offerendo sacrificio DEO declaratam, per ipsam meriti Christi ante faciem DEI Patris repræsentationem, perqve ardentissimas, qvæ tali actui adjunctæ sunt, preces, tunc hocipso profiteris, id non fieri per sacrificialem actum, propriè dictum, à solo sacerdote peractum, sed per adjuncta sacrificia spiritualia, iis, qvi sacrificio interssunt, cum sacerdote communia. Nam neqve repræsentatio illa mortis Christi in Missa, qvâ nudè sub ratione separati per consecrationem corporis Christi à sangvine ipsius spectatur, Divina beneficia impetrat, sed mentis potius devotio, Filium DEI in hac mortis imagine, (si talis in Missâ daretur) cum fixâ in ipsum fiduciâ ante oculos DEI Patris objicientis. Qvale sacrificium applicatorium in Missâ non negant Lutherani, qvia spirituale est, immò & nonnulli Pontificii, vi veritatis convicti, agnoscunt. (Hh.) Si igitur sacrificialis repræsentatio, qvâ

(Gg.) Rom. IV. 11. (Hh.) *Lutherus* sub finem libri de Captivitate Bab. *Chemnitius* in Exam. de Miss. p. 340. Enchirid. Colon. de Sacr. Evch. p. 680. *Qvis non videt, DEum per talem fidem, (qvæ in hujus repræsentativi*

qvâ talis & præcisè considerata, beneficia Divina impetrat, qvæ tamen per naturam suam idonea non est ad applicandi officium obeundum, necessariò seqvitur, efficienter Divina beneficia impetrare, adeoqve evidens esse, (es seye Sonnenklar) derogari virtuti & perfectioni sacrificii crucis Christi. III. Si per naturam sacrificii fieri posset, ut illud, qvâ tale est, Divina beneficia applicaret, qvousqve tamen immotis ex Scripturâ argumentis comprobatum non fuerit, institutum à Christo esse tale sacrificium, eousqve meritò creditur, hoc sacrificium virtuti sacrificii Christi detrahere, qvemadmodum detraheret, si qvis fingeret, vel flagellationes pœnitentium, vel eleemosynas, aris superimpositas, vel ritus qvosvis alios sacrificia esse, verè proprièq; sic dicta, qvantumlibet sub applicationis tantum virtute considerata.

XXXI. Sed qvid dicendum est de sacrificiis V. T. qvæ fuerunt sacrificia propriè sic dicta & tamen beneficia Divina non impetrabant sed applicabant? Ita magnâ confidentiâ Dezius: *Les sacrifices de l' ancienne loy ne faisoient qu' appliqver cette meme vertu*; Die Opffer des alten Testaments dieneten nur allein darzu / daß vermittelst deroselben eben diese Krafft zugeeignet würde. Itane hoc ais, *Dezi*, in eo ipso paragrapho, in qvo consensum Catholicorum cum Protestantibus ex instituto demonstrare intendis? Non igitur legisti in libro Ecclesiarum nostrarum Symbolico, dari sacrificia ἐυχαριστικὰ, qvæ virtutem cruenti Christi meriti ad remissionem peccatorum & reconciliationem cum DEO, non applicant aut impetrant, sed applicatam & impetratam supponunt atqve ideò grati animi pietatem declarant? Sacrificia verò ἱλαστικὰ seu propitiatoria duo in se complecti, qvorum primum sit satisfactio externa & ceremonialis, non intuitu peccato-

sentativi sacrificii celebratione atq; adeò ejusdem corporis pro nobis passi manducatione vel maximè exercetur) beneficium Christi, Filii sui, suis fidelibus applicare? Planè Lutheranè. Videatur in hanc eandem sententiam *G. Cassand.* in Consult. h. l.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0043

rum coram DEO, sed respectu carnalis impuritatis, qvâ, qvi secundum leges Leviticas polluti erant, per sacrificia expiati cum Ecclesiâ reconciliabantur; qvo pacto vera proprieqve dicta sacrificia fuerant; alterum verò respectus qvidam typicus, qvi adumbrabat & prænotabat futurum sacrificium in cruce, qvo solo peccatorum à DEO remissio obtinetur, qviqve fide apprehensus beneficia meriti Christi pœnitentibus applicabat. Qvo verò pacto considerata Veteris T. sacrificia non tam sacrificia fuerant, qvam sacramenta. Hæc totidem ferè verbis in Apologiâ Aug. Conf. leguntur, (Ii.) cur igitur illa *sincerement*, *sincerè* adhibere, monitore *Bossveto*, intermisit *Dezius*? Nituntur isthæc omnia clarissimis Scripturarum locis, qvæ testantur, sacrificia V. T. purificationi tantum carnis exteriori inserviisse, (Kk.) nullum sacrificium V. T. qvâ tale, vim peccata coram DEO expiandi habuisse, (Ll.) soli verò sacrificio crucis virtutem abolendi peccata convenire; (Mm.) ex qvo consequitur, ipsa sacrificia V. T. sub eo respectu, qvo sacrificia veri nominis fuerunt, non inserviisse ad applicandam meriti Christi virtutem, tantum abest, ut hoc officium unicè & in solidum sustinuerint. Qvicqvid verò iis adhæsit virtutis applicandi, id à respectu, ipsi sacrificio externo, in meritum Christi, qvod simul ut typi præfigurabant, verâ fide apprehenso, profluxisse. (Nn.)

XXXII. Nona Deziani consensus pars his proponitur verbis: *Catholici & Protestantes conveniunt, qvod Ecclesiæ patres Missam appellaverint sacrificium Eucharisticum, eò qvod offerri possit DEO in gratiarum actionem pro beneficiis ab ipso acceptis. Qvodqve sacrificium propitiatorium vocari qveat non eo sensu, ac si nos DEO per modum causæ peccatorum remissionem & humani generis redemptionem promerentis propitiaret. Sed si propitiatorium*

(Ii.) Titulo: *qvid sit Sacrificium & qvæ sint Sacrificii species?* p. 254. (Kk.) Hebr. IX. 13. (Ll.) Hebr. X. 4. (Mm.) Hebr. X. 14. I. Joh. I. 7. (Nn.) Dilucidè hæc proponunt *D. Carpzov.* Isag. p. 662. s. & D. *Hildebrand.* Theol. Dogm. p. 893. s. Et longè ante hos *Ph. Melanthon.* Consil. Part. II. p. 66.

tiatorium est, id ideò fit, qvia tanqvam unum ex mediis, per qvæ DEus meritum filii sui nobis applicat, eò conducit, ut DEus propitius nobis reddatur. Pro probando priori assertionis membro allegantur verba Apologiæ Aug. Conf. art. de Missâ, titulo: qvid patres de sacrificio senserint? *Non ignoramus, Missam à patribus appellari sacrificium.* Itemqve ibidem: *apertè testantur, se de gratiarum actione loqvi. Ideoq; vocant εὐχαριστίαν.* Pro secundi membri comprobatione verba Veronii è Reg. Fid. §. 14. adducuntur, qvorum argumentum est: *Longè abesse, ut Missa sacrificium propitiatorium sit sic, ut sacrificium crucis. Hoc enim redemptionem seu remissionem peccatorum, cum omnibus gratiæ donis, qvæ nobis conferuntur, promeruisse; inqve illo totum meritum Christi consummatum esse, atq; id hoc sensu sacrificium propitiatorium dici. Illud verò sacrificium, altaris scilicet, pro instrumento à Christo nobis datum esse, per qvod meritum mortis suæ nobis applicaretur, qvemadmodum & eadem applicatio fiat per sacramenta, per fidem & per bona opera. Atqve hoc sensu esse Eucharistiam sacrificium propitiatorium.* Cumq; in hunc sensum & *Vasqvezium* allegasset, *Bellarmini* qvoqve verba subjicit, è libro I. de Missâ, c. XXV. *Dicimus, passione Christi totum pretium redemptionis acqvisitum & propterea nos omnes eâ morte redemptos, qvod attinet ad sufficientiam precii, pro omnibus persoluti, per sacrificium autem Missæ applicari pretium illud, ut etiam applicatur per sacramenta.*

XXXIII. Duo hic nobis expedienda sunt; primò an Pontificii & Lutherani in eo conveniant, qvod Missa sit sacrificium Eucharisticum? Deinde, an in eo, qvod sit propitiatorium? Et primum qvidem evidens esse putat *Dezius* ex clarissimo Apologiæ testimonio, qvæ & sacrificium Missam disertè appellet & illud in gratiarum actione consistere adseveret. Veruntamen non poterat ignorare *Dezius*, qvoties Apologiæ de Missâ, Lutherano sensu acceptâ, sermo est, toties ab eadem intelligi Missam communem, hoc est, com-

munionem Sacramentalem. In qvâ cum accepto corporis & sangvinis Christi beneficio fideles ad preces & gratiarum actiones conversi, spiritualia labiorum suorum sacrificia, inqve iis ipsummet Christum, sine qvo nulla oratio DEO grata esse potest, DEO Patri summâ animi devotione offerebant, ipsamet tota illa actio Eucharistica, qvam Missam vocarunt, sacrificii nomine insigniebatur. Qvid clarius est, qvam cum Apologia ait: *testari patres, se de gratiarum actione loqvi?* Ex qvo ipso Romanæ Ecclesiæ doctrinam de sacrificio Missæ, remissionem peccatorum & reconciliationem cum DEO, per oblationem Christi, à solo sacerdote sacrificialiter factam, impetrante & applicante, (qvæ est acceptio Missæ Pontificia) immoto argumento hoc pacto configunt Apologetæ: si nullum sacrificium ἱλαστικὸν meretur aut impetrat reconciliationem, sed fit à jam reconciliatis, seqvitur nec sacrificium Missæ, qvando ab antiqvis pro Eucharistico habitum fuit, fuisse propitiatorium, seu impetrans, promerens aut applicans reconciliationem. At verum est prius. Ergo & posterius. Connexio fidem invenit, qvamprimum auditur, nititurqve partim naturali ratione, qvæ versatur inter id, qvod petit aliqvid & impetrat & qvod pro jam impetrato gratum animum testatur; partim Veteris T. exemplis, ubi ob perpetuam hanc oppositionem sacrificium Eucharisticum nunqvam poterat esse propitiatorium, neqve propitiatorium esse Eucharisticum. Qvæ cum ita sint, ex allegato Apologiæ loco, pro consensu à *Dezio* venditato hæc dissensionis inter Lutheranos & Pontificios specimina emergent. Romani: Missa, qvâ à Sacramento distincta est & Sacramentum præcedit, est sacrificium Eucharisticum. Lutherani: Missa, qvæ à Sacramento distincta est, illudqve præcedit, figmentum est, ne ullo qvidem Scripturæ apice nitens, nedum ut sit sacrificium Evcharisticum. Romani: Missa, à Sacramento distincta, ita est sacrificium Evcharisticum, ut simul sit propitiatiorum & propriè dictum. Lutherani: Missa,

Missa, à Sacramento distincta, non est sacrificium propitiatorium, propriè dictum, sed in sacramento solummodo Evcharisticum, figuratè & impropriè dictum. Romani: Missa, à Sacramento distincta, qvamqvam sit sacrificium Evcharisticum, à solo tamen sacerdote DEO offertur. Lutherani: Missa, à Sacramento distincta, planè non est sacrificium, in Sacramento verò æqvè à communicantibus atqve à Sacerdote offertur. Romani: Missa primò & proximè ad DEum peccatori propitiandum offertur. Lutherani: Missa primò & proximè DEO propitiato ad gratum animum ei declarandum offertur. Poteritne, evolutâ hunc in modum verborum ambiguitate atqve generalitate, adhuc credi *Dezio*, dicenti: conveniri inter Lutheranos & Pontificios, Ecclesiæ patres, & cum iis Lutheranos, Missam appellare sacrificium Evcharisticum, qvia offeratur DEO in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis?

XXXIV. Altera qvæstio est: an Lutherani cum Pontificiis in eo conveniant, qvod Missa sit sacrificium propitiatorium, eo sensu, qvo propitiationem non meretur, sed promeritam applicat? Ubi præmissâ denuò distinctione inter Missam, ut est sacrificium propriè dictum, de qvo nos inter & Pontificios unicè controvertitur, & ut est sacramentum, verum qvidem est, Missam, posteriori sensu acceptam, medium & instrumentum esse, qvo reconciliatio nostra cum Christo nobis applicetur, disertè hoc in articulo qvinto docente Augustanâ Confessione; atqve hoc etiam respectu celeberrimis nostræ partis Theologis absurdum non esse, si Eucharistia sacrificium impropriè dictum & applicatorium dicatur. (Oo.) Verum de hac Missâ qvæstio nulla nos inter & Ponti-

(Oo.) *D. Chemnitius* in Exam. Conc. Trid. de Miss. Titulo: *qvo sensu veteres Liturgiam appellarint sacrificium?* p. 350. ita loqvitur: *Patres corpus & sangvinem Domini, in cœnâ præsentia, vocant victimam salutarem, non qvod actione sacerdotis offeratur, sed qvia victima illa, qvæ in cruce semel pro redemptione nostrâ & pro peccatis totius mundi oblata est, corpus &c.*

&

Pontificios est, sed de priore duntaxat illâ. Ubi tamen ne cogitando qvis assequi potest, qvo jure inter species consensionis nos inter & Pontificios ponatur: Missam sacrificium propitiatorium vocari, qvâ & in qvantum propitiationem, à Christo præstitam, nobis applicat? Qvis enim unqvam Lutheranorum concessit, dari Missam, Sacramento contradistinctam? Qvis hanc Missam propitiatoriam appellavit, qvocunqve pacto, sive ut meretur, sive ut applicat propitiationem? Longè hæc absunt à Lutheranorum Theologiâ, in qvâ Missa, ut sacrificium est, propriè dictum, chimæra est & spectrum humani ingenii, non fœtus oraculorum Divinorum. Nec diffitetur hoc *Dezius*, qvippe qvi in seqventi hujus ipsius capitis tractatione (Pp.) hanc thesin: *Missam esse sacrificium propitiationis applicatorium*, tanqvam à Lutheranis non concessam, concedi sibi desiderat, ejusqve rei rationes adducit. Qvod si non concessa est à Lutheranis, qvomodo in eadem conveniunt Catholici & Protestantes? Expectandum igitur est, qvousqve mentem suam declaret Dezius, qvomodo conciliare illa velit: inter postulata numerari & tamen convenire? Cumqve hujus loci non sit, de reipsâ, inter partes controversâ, disputare, sed tantum de utriusq; partis consensu, inanem meo judicio insumerem operam, si in confutandis iis, qvæ hoc loco adducit *Dezius*, qvæqve suo tempore ex instituto examinabuntur, occupari vellem. Sufficit, notorium esse & apud ipsum *Dezium* in confesso, nullum planè hic esse consensum.

XXXV. Ita devolvimur ad membrum consensionis decimum, his à *Dezio* verbis exornatum: *Catholici & Protestantes conveniunt, qvod tota antiqva Ecclesia Sacramentum altaris tanqvam perfectam repræsentationem mortis Christi respiciat, idqve*

& sangvis Domini in cœnâ Dominicâ adest, dispensatur, exhibetur & sumitur, ita ut virtus & efficacia illius oblationis, semel in cruce factæ, applicetur & obsignetur privatim singulis, fide sumentibus.

(Pp.) In Germ. *Ex. p. 395. In Gall. p. 390.*

qve juxta Pauli & Christi ipsius verba: hoc facite in mei commemorationem; Domini mortem annunciabitis. Nimirum postqvam corpus Christi sub specie panis & sangvis ipsius sub specie vini gladio verbi sui in mysterio separata ab invicem sunt, per hoc ipsum admirabili & incruento modo cruentum crucis sacrificium repræsentatur, in qvo hoc ipsum corpus & hic ipse sangvis ab invicem realiter sunt separata. Et sicut per hanc separationem, mystice factam, mors Christi perfectè designatur & qvasi præsens sistitur, ita omni dubio caret, eandem non minus significare, qvod DEus supremus sit vitæ & mortis Dominus, qvam si Christus ad hoc ipsum denotandum reapsè adhuc moreretur. Qvamobrem qvia hæc commemoratio tale signum est, qvo re & opere ipso profitemur, nos supremum DEI dominium agnoscere, utrinqve conceditur, eandem sacrificium commemorativum appellari posse. Allegantur ad fidem huic asserto faciendam verba *D. G. Calixti*, Theologi *Lutherani*, dicentis: *nihil obstat, qvin Eucharistia appelletur sacrificium memorativum.* Extant hæc verba in Exercitatione de sacrificio Christi initerabili, §. L. à *Dezio* verò allegatur Examen puncti VII. circa articulum X. XXII. XXIV. qvale examen *Georgius* nunqvam, sed Georgii Filius, *Fridericus Ulricus*, sub titulo non Examinis, sed *Demonstrationis liqvidissimæ* scripsit, illamq; loqvendi rationem adversus Consensus repetiti auctores auctoritate publicâ defendit. Ut adeò librum Calixtinum, ex qvo verba desumta sunt, ne qvidem viderit unqvam *Dezius.* Sed nimirum, qvi *Dezio* verba Calixtina suggessit, ideò *Demonstrationem Liqvidissimam* Filii potius, qvam Exercitationes de sacrificio Patris communicavit, ut ex illis analoga *Urbani Regii* & *Mart. Chemnitii* verba, qvæ alias citra dubium ignorasset, excerpere posset. Qvod & fecit fideliſſimè. Statim enim Calixto subjicitur *Urbanus Regius*, pariter Lutheranus, qvi in Materiâ cogitandi de toto Missæ negotio scribat: *meo qvidem judicio pietas neqvaqvam horrebit vocare sacrificium memoriale.* Itemqve *Mart. Chemnitius*, in Exam. Conc. Trid. de Missâ: *actio cœnæ Dominicæ ve-*

teribus vocatur sacrificium, oblatio, immolatio, qvia cœna Dominica celebratur & usurpatur in memoriam seu commemorationem unici sacrificii Christi, in cruce semel peracti. Deniqve Wallenburchios ex Vasqvezio differentes adducit: *duplex esse sacrificii genus. Qvoddam enim esse absolutum, nempe qvod non sit alterius sacrificii commemoratio, qvale sit mactatio pecudis, aut alterius rei consumptio. Aliud verò dici posse relativum seu commemorativum. Tale esse sacrificium altaris, qvod commemorativum dici possit; qvamqvam in tali sacrificio non fiat immutatio rei, qvæ offertur, tamen reperiri in eo veram significationem & notam Divinæ omnipotentiæ, non minus ac in sacrificio absoluto. Atqve exinde huic sacrificio veram naturam & proprietatem sacrificii non minori jure competere, qvam sacrificio cruento & absoluto.*

XXXVI. Primò palam est, non recensferi hic consensus doctrinæ inter ipsosmet Lutheranos atq; Pontificios specimen, de qvo tamen unicè hic qvæstio est, sed id duntaxat enunciari, qvid de alienâ fide, id est, veteris Ecclesiæ circa Missæ aliqvam particulam sententiâ pars utraq; sentiat, Pontificia & Lutherana. Tantine est, qvod Catholici & Protestantes conveniunt, totam aliqvando antiqvam Ecclesiam & qvidem, *Maldonato* dicente, per sexcentos annos, infantibus porrigendam esse sacram cœnam docuisse? Non ideò qvia universi aliqvando errarunt patres & hoc Lutherani pariter atqve Pontificii confitentur, (Qq.) errori qvamcunqve vel speciem id parit vel patrocinium. Deinde repræsentari mors Domini dupliciter potest, verbis & facto. Memoratio mortis, qvæ fit per verba, ad eandem menti animoqve imprimendam, nihil aliud est, qvam repræsentatio mortis, qvæ verba audienti in memoriam revocatur. Talem memorationem repræsentationemqve mortis suæ intellexit Christus, dicendo: *Hoc facite in mei commemorationem.* Qvemadmodum

(Qq.) Videantur *D. Dorschens*, I. Theol. Zach. §. 73. & *D. Dannhawerus* in Christeid. p. 270. s.

dum si qvis moriens constitueret, anniversario qvolibet mortis suæ die certam distribui inter pauperes pecuniæ summam, adjectâ admonitione, ut eo die eoqve pacto mortis ipsius ageretur memoria. Nec enim hoc velle putandus esset, ut mors ipsius exteriore aliqvo signo, animæ à corpore separationem ob oculos ponente, repræsentaretur, sed ut verbis institueretur mortis ipsius memoratio, occasionem memorationi ipso, pauperibus elargiendo, beneficio præbente. Ita cum Servator humano generi, ultimæ voluntatis suæ testamentum instituens, beneficium corporis sangvinisqve sui, tanqvam cibi potusqve, ad æternam vitam reficientis, legat, inter Christianos suos distribuendum, adhortationem simul adjicit: *hoc facite in mei commemorationem.* Qvod disertè interpretatur Paulus non de repræsentatione aliqvâ mortis suæ reali, per signa externa factâ, sed de annunciatione, qvæ fit piâ animi æstimatione & prædicatione oris devotâ. Postqvam enim verba Servatoris repetiisset: *hoc facite, qvotiescunqve feceritis, in memoriam meam;* suam subjicit expositionem: *qvoties enim ederitis panem hunc & biberitis poculum hoc, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Ecce, in memoriam Domini facere id, qvod sacramentum conficiendo & distribuendo Christus fecerat, Paulo non est, separatâ symbolorum consecratione corporis sangvinisqve Christi separationem, hoc est, mortem repræsentare & qvasi in tabulâ depingere, sed lingvâ animoqve καταγγέλλειν, *annunciare*, prædicare, in cœlum evehere, grato pectore agnoscere & celebrare: qvæ est propria & qvotidiana hujus vocis notio. Qvod in hoc qvoqve sacramento eo facilius fieri potest, qvia in eodem illud ipsum corpus, qvod in mortem traditum est, comedendum, illeqve ipse sangvis, qvi in arâ crucis est effusus, bibendus nobis exhibetur. Ad eum modum, qvo veteres nonnulli majorum suorum corpora, à corruptione præservata, certis anni diebus omnium conspectui exponebant, ut illa intuentes res præclarè ab ipsis gestas in memoriam sibi revo

carent. Atqve hæc talis qvidem repræsentatio, annunciatio & memoratio mortis Christi, in Eucharistiæ Sacramento instituenda, prævia Christi atqve Pauli expositione, à Lutheranis utiqve conceditur, neqve negatur à Pontificiis, sed ea ad præsens Missæ negotium nihil facit, nec à *Dezio* qvoqve hoc loco intelligitur, sed in solidum repræsentatio illa realis, in signo & imagine talis, qvâ separatim consecrando separatio sangvinis à corpore, hoc est, mors, tanqvam vivâ qvadam actione exprimitur. Hæc sola illa repræsentatio & memoratio est, de qvâ hic qværitur, qvam verò à Christo & Apostolis in verbis, à *Dezio* adductis intellectam fuisse, nullo apice, immò ne specie qvidem ullâ probat *Dezius*, contrariumqve à me hactenus ex ipsâ clarissimâ literâ & indubitatâ interpretatione Apostolicâ, ad qvam ipse provocaverat *Dezius*, fuit demonstratum.

XXXVII. Jam sine stupore legi non potest, qvod affirmat *Dezius:* convenire Catholicos & Protestantes, universam antiqvam Ecclesiam sacramentum altaris tanqvam perfectam mortis Christi repræsentationem, ob illam corporis ipsius sub specie panis & sangvinis sub specie vini factam gladio verbi separationem, perpetuò respexisse: immò convenire Lutheranos & Pontificios, ob eandem repræsentationem & conseqventem hinc supremi DEI dominii agnitionem, eandem Eucharistiam sacrificium commemorativum appellari posse. Nec enim vel per somnium Lutheranorum cuiqvam hæc convenientia unqvam venit in mentem. Sacrificium commemorativum vocari posse Sacramentum ob commemorationem antea expositam, non negant *Regius*, *Chemnitius*, aliiqve, ideò autem tale dici, qvia in eo mediante consecratione realiter & signotenus repræsentetur mors Christi, nunqvam à qvoqvam nostrum fuit assertum. Cui potius hanc Lutheranorum doctrinam, summo consensu ab ipsis traditam, temerario illi *Dezii* asserto è diametro adversantem, summo jure oppono: Sacramentum altaris neqve ab antiqvâ

antiqvâ Eccleſiâ, neqve à Lutheranâ hodiernâ, ob corporis Chriſti à ſangvine ipſius factam in Symbolorum conſecratione ſeparationem pro perfectâ repræſentatione cruenti Chriſti ſacrificii, aut ob agnitionem ſummi DEI in res omnes dominii pro ſacrificio commemorativo habitum eſſe, aut etiamnum haberi.

XXXIIX. Et qvidem qvod ad Patres veteris Eccleſiæ ſpectat, confidenter affirmo, neminem unum in ſeparatâ iſtâ conſecratione repræſentationem illam ſacrificialem conſtituere. Sacrificium Euchariſtiam vocant, vel qvia in eo panis & vinum, tanqvam primitiæ creaturarum ſuarum, DEO offeruntur, ut *Irenæus*; qvæ hodieqve in ipſo Pontificiorum canone appellantur *ſacrificia illibata*; vel qvia in eo per pias preces id ipſum ſacrificium, qvod in arâ crucis oblatum in S. Euchariſtia inter communicantes diſpenſatur, DEO offertur, cum preces nullæ niſi in Chriſto & per Chriſtum DEO oblatæ gratæ ſint & acceptæ, ut *Cyrillus Hieroſolymitanus*; vel qvod per fractionem panis & effuſionem vini in Sacramento paſſio corporis Chriſti & effuſio ſangvinis ipſius, tanqvam in imagine qvapiam repræſentatur, ut *Auguſtinus*, ſi vera eſt ſententia per Proſperum ex Auguſtino collecta apud Lanfrancum, Algerum & Gratianum: *dum frangitur hoſtia, dum ſangvis de calice in ora fidelium funditur, qvid aliud qvam Dominici corporis in cruce immolatio, ejusqve ſangvinis de latere effuſio deſignatur?* Vel qvod in Euchariſtiæ diſtributione, jubente Domino & Apoſtolo, veri ſacrificii, in cruce & morte peracti, memoria agebatur; ut *Euſebius*, *Chryſoſtomus*, *Cyrillus Alexandrinus*, *Theodoretus*, *Eulogius*, *Heſychius* & recentiores plurimi. Verba ſingulorum horum patrum fuſè curateqve producit *D. G. Calixtus*. (Rr.) Iterum indubitatò pronuncio: non poſſe ex omni patrum choro vel umbram vel umbræ ſaltem ſpeciem (Ss.) produci, ex qvâ appareat, vel in mentem cui-

(Rr.) De Sacrif. Chr. Initer. §. XIIX. XXIII. XLVII, L. CIII. ſeqq. (Ss.) Verè enim minus umbrâ *Bellarmini* argumentum eſt, qvod ex qvibusdam vocibus perqvam frigidè nectit, I. de Miſſ. c. XV. §. Igitur primus,

cuiqvam eorum veniſſe, repræſentari in Euchariſtiâ ſacrificium mortis Chriſti per ſeparatam corporis & ſangvinis Chriſti ſub ſpecie panis & vini conſecrationem. Hæc perpetua fuit Lutheranorum de patribus in hoc doctrinæ capite ſententia, qvam ſtatim poſt Lutherum omnium qvaſi nomine expreſſit Theologus verè magnus, *D. Mart. Chemnitius.* Verba ſunt: *Nego, veteres appellatione ſacrificii intellexiſſe theatricam illam repræſentationem, qvâ Pontificii Miſſæ ſuæ ſacrificium definiunt.* (Tt.) Qvæſo igitur te, per DEum immortalem, *Dezi*, qvomodo hic conveniunt Catholici & Proteſtantes?

XXXIX. Forte in altero aſſerto magis amicè conſpirabunt iidem: Miſſam commemorativum ſacrificium appellari poſſe, ideò, qvia annunciatio, à Paulo præcepta, ſignum ſit, qvo re & opere ipſo profitemur, nos ſupremum DEI dominium agnoſcere. Non credo, vel ſyllabam hujus pronunciati apud Lutheranorum qvemqvam unqvam legiſſe *Dezium.* Neſciunt illi hanc ſacrificii præ aliis actibus religioſis proprietatem, qvâ ſolum ſit ſacrificium, qvod dominium DEI in creaturas ſuas abſolutum agnoſcat & revereatur. Credunt, ſacrificiorum propitiatoriorum hunc unum & immediatum finem eſſe, ut DEus offerenti reddatur gratioſus. Hoc cæteris paribus ad ſacrificium ſufficere, ſi vel maximè mentem hominis offerentis æqvè non intret agnitio abſoluti DEI in homines dominii, ac agnitio vel æternitatis DEI vel infinitatis vel omniſcientiæ vel omnipræſentiæ Divinæ. Vellent, unico eoqve firmo Scripturarum, aut ſaltim antiqvitatis, vel à Walenburchiis vel à Vasqvezio, indicio demonſtrari, in ſacrificio unqvam reqviſitam fuiſſe ſupremi DEI in res omnes dominii profeſſionem, qvam credunt, ex proprio cerebro confictam eſſe, ad qvalemcunqve ſpeciem proprietati ſacrificii memorativi, jamdiu agonizanti, conciliandam. Hanc

(Tt.) Exam. Conc. Tr. de Miſſ. titulo: *qvo ſenſu veteres Liturgiam appellarint ſacrificium?* p. 348. 349.

Hanc qvoqve conſeqventiam nec lyncei viderint oculi: qvia in Euchariſtia annuncianda eſt mors Domini: ergo agnoſcendum eſt ſupremum ejus in genus humanum dominium. Cur non eodem mode concludas: in Baptismo in mortem Domini baptizamur: ergo ſummam DEI in nos poteſtatem in illo agnoſcimus & vi conſeqventiæ Baptismus eſt ſacrificium commemorativum? Sed in re omnium oculis clarâ verbum adjiciendum non eſt, donec aſſerti ſui vel unicum *Dezius* produxerit teſtem, eumqve idoneum & probatum; qvo ſi deſtituatur, bellum & hic erit internecinum inter Catholicos & Proteſtantes, non pax atqve concordia.

XL. Sed *Calixtus* ſaltem, *Lutheranus*, inqvies, Euchariſtiam vocat ſacrificium memorativum, ideò qvod ſigno reali repræſentet mortem Chriſti? Primò ſi qvid diceret *Calixtus*, à reliqvorum Lutheranorum doctrinâ diverſum, an id juſtius pro conſenſu Lutherano allegari poſſet, ac cum ex *Caſſandro*, Pontificio, qvidpiam à Lutheranis adducitur, qvod à reliqvorum Pontificiorum doctrinâ diſcedit, ut inde conſenſus totius Eccleſiæ Pontificiæ probaretur? Qvid diceret hoc caſu *Dezius*? Anne mitius loqveretur *Valerio Andreâ Deſſelio*, JCto Lovanienſi, qvi de Caſſandro: *dum in componendis religionis diſſidiis ſe ponit ſeqveſtrum atqve arbitrum, bareſios notam vix effugit & à rectâ fidei ſemitâ nimium qvantum exorbitaſſe viſus eſt.* (Uu.) Aut Jeſuitis Moguntinis, qvi de eodem: *Catholici, juſtâ irâ commoti, nigro calculo Caſſandrum damnarunt & in ſyllabo prohibitorum in primam omninò claſſem retulerunt.* (Xx.) An ignorat *Dezius*, ob idem componendi religiones ſtudium & qvod videretur plus nimio Pontificiis conceſſiſſe, aut idem aut ſimile qvid à reliqvis Lutheranis de *Georgio Calixto* judicatum fuiſſe, qvod judicatum fuit à cæteris Pontificiis de duobus ſuis *Georgiis*, *Caſſandro* & *Wicelio*, qvi videbantur plus nimio conceſſiſſe Lutheranis? Non ſufficit

(Uu.) In Biblioth. Belg. p. 259. (Xx.) Anim. in Anti B. Croc. Controv. XIIX. Sect. III, v. Conring. Caſſ. p. 247. ſ.

ficit ad consensum Lutheranorum demonstrandum dicere: hoc ait *Calixtus*, Lutheranus; sicut non sufficit ad consensum Pontificiorum demonstrandum dicere: hoc ait *Cassander*, Pontificius. Deinde non loqvitur de Missâ *Calixtus*, qvâ sacrificium est, sacramento contradistinctum, de qvo unicè nos inter & Pontificios qvæstio est, sed de sacramento, qvod sacrificium, qvamqvam impropriè dictum, atqve ideò memorativum, vocari posse concedit. Nec ideò sacrificium memorativum appellat, qvia in separatâ symbolorum consecratione sacrificium mortis Christi repræsentatum commemoretur, sed qvia in fractione panis & fusione vini contritio corporis Christi & effusio sangvinis Christi, juxta Prosperi sententiam, designetur & oculis qvasi, ad memoriam passionis ipsius eò acrius refricandam, objiciatur. Qvid verò juvat hæc *Calixti* sententia doctrinam Dezianam, qvæ ab eadem toto qvasi cœlo dissidet? Qvamqvam nec in hoc qvidem asserto, in qvo ipso discessum à reliqvis Theologis Lutheranis & collusionem cum Pontificiis ei objecerat *Statius Buscherus*, (Yy.) ullum nostrarum partium Theologum producere potuerit *Calixtus*, Prosperi suamqve sententiam suo suffragio dilucidè comprobantem. (Zz.)

XLI. Undecimum nunc prodit venditati à *Dezio* consensus membrum, his ab ipso verbis propositum: *Catholici & Protestantes conveniunt, qvod in veteri Ecclesiâ hoc sacrificium DEO soli fuerit oblatum & qvod tamen simul in honorem sanctorum fuerit celebratum. Nos autem martyribus nostris, ait S. Augustinus, non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, qvorum apud DEum vivunt spiritus, fabricamus; nec ibi erigimus altaria, in qvibus sacrificemus martyribus, sed uni DEO, & martyrum & nostro, sacrificium immolamus. Ad qvod sacrificium sicut homines DEI —— suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qvi sacrificat, invocantur. DEO qvippe sacri-*

(Yy.) In Crypto Papismo novæ Theologiæ Helmstadiensis p. J. ii. (Zz.) In der Gründl. Widerleg. Part. II. p. 268. f. usqve 288.

non ipſis ſacrificat, qvamvis in memoriâ ſacrificet eorum. Et alibi: Qvis audivit aliqvando fidelium ſtantem ſacerdotem ad altare, etiam ſuper ſanctum corpus martyris, ad DEI honorem cultumq; conſtructum, dicere in precibus: offero tibi ſacrificium, Petre vel Paule vel Cypriane, cum apud eorum memorias offeratur DEO, ut eâ celebritate DEO de illorum victoriis gratias agamus. (Aaa.)

XLII. Non potuit *Dezius* ullum nominare Lutheranorum, qvi profiteretur, veteres in honorem ſanctorum Euchariſtiæ ſacrificium celebraſſe. Et tamen dicere audet: convenire in hoc Catholicos & Proteſtantes. Qvæſo te rogoqve, *Dezi*, qvalis hic tandem eſt conſenſus? Qvem ne mente qvidem qvis concipere poſſit ſuâ. Qvod ſi dixeris: cogi Lutheranos vel invitos conſentire, ob clariſſima antiqvitatis teſtimonia, tum repono, nihil igitur cauſæ eſſe, cur non & in conſenſus hujus partes cætera omnia, nos inter & te controverſa, rapiantur, cum nullibi vobis, ſi verbis veſtris credere fas eſt, deſint clariſſima antiqvitatis teſtimonia, qvibus Lutheranorum doctrinam confutatam detis in ruborem. Verum utiqve eſt, negaſſe veteres, qvod ſacrificium cuiqvam, niſi ſoli DEO, poſſit offerri, ſed qvod affirmaverint, poſſe illud ſimul in honorem ſanctorum offerri, id ne nullo qvidem ex iis apice poterit demonſtrari. Producat *Dezius* locum vel ex pluribus unum. Nam in duobus iſtis, qvæ ab ipſo ſtatim ſubjiciuntur, ſacrificii in memoriam ſanctorum celebrati ne uno qvidem verbo, nec ullâ etiam conſeqventiâ fit mentio. Veruntamen qvam verè dicatur, veteres in honorem ſanctorum ſacrificium Euchariſtiæ celebraſſe, totus ille, qvi hanc appendicem præceſſit, Tractatus teſtari poterit. In qvo ſimul, qvod ex Auguſtini verbis non ſine piæ fraudis ſuſpicione *Dezius* deſumit, argumentum ex inſtituto examinavimus, ut non opus ſit, hic vel addi verbum. (Bbb.)

XLIII. Reſtat, ut ad ultimam conſenſus Deziani par-

(Aaa.) Prior locus extat Libro XXII. de Civ. DEI, c. X. Poſterior Lib. IIX. c. XXVII. (Bbb.) Cap. V. §. III. XXIII. XXIV. XXV. XXVI.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0057

ticulam deveniamus, qvæ iſthæc momenta repræſentat: *Catholici & Proteſtantes conveniunt, qvod Miſſa Argentorati non ſit abrogata, ſed tantum ſuſpenſa, usq; dum probatum fuerit, qvod illa cultus ſit DEO gratus; qvodq; Lutherus docuerit, eſſe eandem ceremoniam, Divinitus inſtitutam; qvod preces, in Miſſâ recitari ſolitæ, lectio Scripturæ ſacræ in Evangelio & Epiſtolâ, ſymbolum fidei, laudesqve, qvæ DEO tribuuntur, ipſi diſplicere nequeant, cum res ſint nonniſi ſanctæ. Colitur DEus, dum ipſi hoc ſacrificium offertur, ſicuti jam vidimus, in primis ſeculis factum eſſe. Colitur in conſecratione, qvod inde patet, qvia in illâ præcipuè ſupremum ipſius dominium agnoſcitur, dum mors Chriſti tanqvam præſens ſiſtitur. Colitur etiam in gratiarum actione. Convenitur qvoq; in eo, qvod, ſi Miſſa verum ſacrificium eſt, ceu in Romanâ Eccleſiâ docetur, & hoc ſacrificium verè ad propitiationem pro vivis & mortuis facit, ut tamen infinito ſacrificii crucis merito per id nihil derogetur, convenitur, inqvam, qvod hic cultus inter omnes talis ſit cultus, per qvam Divina majeſtas omnium maximè glorificetur.* Qvod Miſſa Argentorati ſuſpenſa tantum, non abrogata fuerit, adducitur teſtimonium *Jo. Sleidani*, è libro VI. Comment. ad annum MDXXIX. *Cum veniſſet dies, eorum ſententia, qvi Miſſam oppugnabant, ſuperior extitit. Itaq; fit decretum Februarii die vigeſimo, ſuſpendi Miſſam oportere ac intermitti, donec adverſarii demonſtrent, eſſe cultum DEO gratum.* Lutheri verò de Miſſâ effatum ipſius Lutheri verbis ex Formulâ Miſſæ comprobatur: *Hoc negare non poſſumus, Miſſas & communionem panis & vini ritum eſſe à Chriſto Divinitus inſtitutum.*

XLIV. Plura in præſenti membro conglomerantur, de qvibus non uno modo judicari debet. Primus ille de ſuſpenſâ Argentorati Miſſâ conſenſus phraſeos ambiguitate decipit, qvâ evolutâ in planiſſimum abit diſſenſum. Decretum enim Argentoratenſe: *ſuſpendi Miſſam oportere ac intermitti, donec adverſarii demonſtraverint, eſſe cultum DEO gratum*, hanc appendicem habuit pro conditione impoſſibili, qvæ juxta Logicorum

gicorum regulas æqvipollet universali vel affirmanti vel neganti. Ut adeò sententia decreti sit: suspendi Missam oportere in perpetuum. Probatur hoc, qvia decreti autores ex Divinarum Literarum infallibili auctoritate persvasi fuerant, suam de Missæ abominatione sententiam Divinâ veritate niti, neqve contrarium ex eadem unqvam probari posse. Ea enim nisi certitudo, eaqve immota, animo eorum insedisset; si dubitassent de innixâ irrefragabili verbo Missæ bonitate, qvæ demum posthac firmioribus argumentis probanda foret, impiè stolidèqve fecisset Senatus, Missam contra morale principium: dubitante conscientiâ faciendum nihil esse, abolendo. Qvod qvî de bonis cordatisqve viris possit præsumi? Econtra *Dezius* & cum eo Catholici, qvos vocat, appendicem illam non pro possibili tantum, sed & pro conditione habent, jam ipso facto impletâ. Ita enim Jesuita: *credit auctor Reunionis, comprobatam jam à se esse istam veritatem, qvod Missa sit cultus DEO gratus.* (Ccc.) Inter has igitur, juxta sensum suum interiorem evolutas, propositiones, utpote hanc Lutheranorum: Missa in æternum suspendi debet, qvia in æternum ejus bonitas probari neqvit: & illam Pontificiorum: Missa ad tempus tantum suspendi debet, qvia qvamqvam olim dubium, jam tamen probatum est, eandem esse cultum DEO gratum; qvis, rogo te, consensus esse potest?

XLV. Porrò Lutherum in allegato à *Dezio* loco de Sacramento Evcharistiæ, non de sacrificio loqvi, Missamqve & communionem panis & vini per ἐπεξήγησιν intelligere, ut adeo omnis hic iterum exulet consensus, adeò certum est, ut planissimè credam, nec negaturum hoc esse, ipsummet, si apud se habitet, *Dezium*. Qvi cur hac vocis ambiguitate denuò ludere & præstringere simpliciorum oculos voluerit, ut persvaderentur, utrumq; à Luthero affirmari, & Missam, qvâ est sacrificium, & eandem, qvâ est sacramentum, ceremoniam esse Divinitus institutam, ambiguum est, qvi cum candore Christiano

 possit

(Ccc.) In Præf. Reun. Gallic. l. iij.

possit conciliari? Qvid enim Lutherus de Pontificio Missæ sacrificio, qvâ id Sacramento opponitur, senserit, ex Articulis Smalcaldicis, qvi pars sunt Librorum nostrorum Symbolicorum, *Dezio* ignotum esse non poterat. In ipso verò illo Tractatu, ex qvo verba sua excerpsit *Dezius*, (Ddd.) qvemqve inspexisse vix fidem apud ingenuum hominem qvemcunqve inveniet, disertis expressisqve verbis testatur *Lutherus*, se non de Missâ Pontificiâ, ut sacrificium est, sed unicè de eâ, ut communio Sacramentalis est, loqvi. Profero verba, qvibus tractationem suam exorditur & in qvibus ipsa illa, qvæ pro demonstrando inter nos consensu allegat *Dezius*, continentur: Auffs erste bekennen wir/ daß wir nie gedacht/ allen eusserlichen Gottesdienst abzuthun/ sondern den/ so bißher im Brauch ist/ aber mit viel Zusätzen / (inter qvæ & sacrificium est, ut ex seqventibus patebit) verderbt/ wider zusägen und anzeigen/ welches der rechte Christliche Brauch ist. Dann wir je nicht läugnen können/ daß die Meß und zu GOttes Tisch gehen/ (Missa igitur hoc loco est ad mensam Domini accedere & Eucharistiâ uti) eine Ordnung seye/ von Christo selbst eingesetzt/ welche zur Zeit Christi und hernach der Aposteln und Ihrer Jünger auffs einfältigste und Christlichste ohn allen Zusatz gehalten ist/ hernach aber mit so viel Menschen Fündlein vermehret/ daß allein der Name von der Meß und Communion auff unser Zeit kommen ist und sonst nichts. Deinde speciatim exeqvitur, qvid vel ad institutionem Divinam vel ad ritus, à primis patribus usurpatos & Scripturæ tamen non adversos, qvid vero ad nævos, temporum superstitione superadditos, pertineat; hæc ad sacrificium refert, illa ad communionem. Denuò verba ipsa produco: Da aber einem jeden frey war/ hinzu zusetzen und ändern/ wie Ihn gelüstet und des Geitzes Tyranney und der Geist-

(Ddd.) Qvi Germanicè exhibetur Tom. III. Jen. p. 269. Et Tom. III. Altenb. p. 460. f.

Geistlichen Pracht auch mit zuschlug / da fiengen an unsere Gottlose Könige / daß ist / unsere Bischoffe und Hirten dem Abgott Baal und andern Abgöttern / wie die Juden vor Zeiten / Altar und Bildwercke zusetzen. Hie ist auch unser Gottloser König Ahas kommen / hat den ehernen Altar GOttes aus dem Tempel geworffen / und einen andern zu Damasco holen lassen und an jenes Statt setzen. Ich meine den zurissen zöttichten greulichen Canon oder Stillmesse / der aus vielen stinckenden Pfützen zusammen gesetzet und geflicket ist. Da fieng an die Meß ein Opffer zu werden / da hat man hinzu gesetzet das Offertorium, das ist / den Opffer-Gesang und Gelt-Gebet / lange Seqventz und vil Geplerr in das Sanctus und gloria in excelsis. Dahero ist die Meß nichts anders worden / denn eine eigene Handirung und Jahrmarck der Pfaffen / die aller Welt Güter erschöpfft hat. Post aliqva concludit, qvasi *Dezio* in faciem contradicturus. Doch in disem Büchlein wollen wir nicht sagen / ob die Meß ein Opffer seye / ein gut Werck oder nicht / davon gnugsam anderswo gelehret. Wir wollen die Meß jetz für uns nehmen / alß ein Sacrament oder Testament, oder alß ein Danckſagung / wie sie dem Griechischen Wort Evchariſtia nach heisset / oder wollen sie nennen des HErren Tisch / oder des HErren Abendmahl / oder ein Gedächtnuß des HErrn und des Volcks Comunion, oder sonst / wie es uns gefält mit einem andern Christlichen Namen. Allein daß man sie kein Opffer oder Werck nenne und disen theuren Schatz mit solchem Greuel nicht beflecke. Qvid Tibi videtur, *Dezi*, de hoc Pontificiorum cum Luthero & Lutheranis consensu?

XLVI. Jam preces in Missæ celebratione recitari solitæ duorum sunt generum. Nonnullæ ad conficiendum, ceu in Romanâ Ecclesiâ loqvuntur, sacrificium, ejusq; demonstrandam virtutem diriguntur, qvæ preces Missaticæ propriè dictæ appellari possunt. In qvibus adeò nihil convenit Catholicis cum Protestantibus, ut Lutherum potius in easdem graviter invectum paulò ante audiverimus. Aliæ verò ad complendum

integrum cultum Divinum faciunt, unde & ab antiqvâ pariter Ecclesiâ atq; à nostrâ recentiore non in ipso celebrandæ Missæ actu, (nisi ubi Missæ vox pro toto cultu Divino, haud repugnante *R. Bellarmino*, accipitur) sed vel initio totius cultus ad altare, vel post peroratam homiliam Ecclesiasticam ex suggestu, recitantur. In qvem ordinem lectio Evangelii & Epistolæ, Symbolum item fidei & gratiarum actiones, DEO pro collatis nobis beneficiis factæ, non immeritò referuntur, qvippe qvæ in Ecclesiâ recitantur, etiam cum nulla celebratur Missa. Igitur nec dum in precibus Missaticis, qvâ talibus, ullus est Lutheranos inter & Pontificios consensus. Præterea qvamqvam lectiones Scripturæ & laudes DEO decantatæ in se res bonæ sanctæq; sint, si tamen ad rem adhibeantur, voluntati Dei revelatæ adversam, qvalis est confictum illud Missæ sacrificium, non minus profanantur illæ contaminanturq; adeoq; Deo abominandæ redduntur, ac cum optimæ in se sanctissimæq; Scripturæ ad hæresin suam stabiliendam ab hæresiarchâ, aut à mago ad veneficia sua adhibentur. Nec enim ut aliqvid Deo sit gratum atqve acceptum, sufficit, in se bonum esse, sed necesse est, ut bono etiam & libero ab omni vitio animo fiat & peragatur. Qvare falsum esse omnes intelligunt, qvod conveniant Lutherani cum Pontificiis in eo, qvod lectiones Biblicæ & preces in Missæ sacrificio recitatæ, eò qvod in se sanctæ sint, DEO displicere non possint, cum utiqve displiceant applicatæ ad finem, DEI sanctitati voluntatiqve multis modis adversum.

XLVII. Qvamqvam idem de cultu DEI, qvem DEO præstari sive offerendo sacrificium, sive consecrando, sive gratias agendo, profitetur *Dezius*, in Sacramento dici par sit, tamen de sacrificio veri nominis loqvendo, de qvo utiqve intelligendus est *Dezius*, falsum est, coli DEum, dum ei sacrificium in Missâ offertur, qvippe qvod offerri nullo unqvam verbo præcepit; non autem colitur DEus per id, qvod hominum inventum, non DEI præceptum est. (Eee.) Falsum est, in primis seculis

(Eee.) Matth. XV. 9.

culis oblatum esse in Eucharistiâ veri nominis sacrificium, cum memoriam tantum veri sacrificii in Eucharistiâ, sicut resurrectionis in Paschate, peregerint veteres. (Fff.) Falsum est, coli DEum consecratione, ad conficiendum sacrificium, agnoscendumq; supremum DEI in res omnes dominium, de qvo nihil novit Scriptura, nihil antiqva Ecclesia, directâ. Falsum est, coli DEum gratiarum actione, pro oblato sacrificio, vivis mortuisq;, ad redimendum pœnas, illis vel dictatas vel inflictas, fructuoso. Hæc omnia cum negent pernegentqve Lutherani qvî convenire cum Pontificiis, eadem strenuè asserentibus, dici possunt?

XLIIX. Qvid de postremâ convenientiæ Dezianæ particulâ, meris conditionibus, à Lutheranâ Ecclesiâ perpetuò & acriter oppugnatis, innixâ, judicare debeam, eqvidem anceps hæreo. Audiamus verò ipsum *Dezium*: SI Missa est verum sacrificium, SI est verè propitiatorium pro vivis & mortuis, SI per illud nihil derogatur infinito crucis sacrificio, SI, inqvam, res ita se habet, tum convenitur utrinqve, qvod cultus ille, DEO in sacrificio Missæ præstitus, inter omnes cultus Divini species sit præcipuus & per qvem Divina majestas omnium maximè glorificetur. Qvid de tali collectione aliud judicare poterit *Dezius*, si seriò rem agere velit, qvam de illo trito Logicorum: si asinus volat, habet alas? Aut si hic neutrum, ibi utrumq; verum esse dictitaverit, eodem dictitandi colligendiq; jure & Lutheranos uti patietur: SI Missa vera est in oculis Divinis abominatio, ceu in Lutheranâ Ecclesiâ in Artic. Smalc. docetur, & SI DEum iratum potius homini qvam gratiosum reddit, qvia infinito crucis sacrificio vehementer derogat, tum utrinq; convenitur, qvod Missa talis sit cultus, per qvem Divina majestas contemnatur potius, qvam honoretur. Non est ovum ovo tam simile ac hæc collectio illi priori, neq; subsumptio, si facienda aliqva est, plus fidei in priori apud Lutheranos,

(Fff.) *Aug.* Ep. XXIII. ad Bonif. *Ambros.* vel alius sub ejus nomine, Comm. in Ep. ad Hebr. X. *Fulgent.* de Fid. ad Petr. c. XIX.

nos, ac in posteriori inveniet apud Pontificios. De eo verò utrum Missa sit præcipuus cultus Divinus, *Dezii* vestigia secuturi, infra suo loco uberius agemus; nunc enim de eo solummodo qvæstio est: qvâ in re cum Protestantibus Catholici conveniant?

XLIX. Exhibuimus hactenus verbotenus catalogum earum sententiarum, in qvibus convenire Catholicos & Protestantes circa solum de Eucharistiæ sacrificio dogma longo ordine censuit *Dezius*. Non divulsimus verbum à verbo, prout ab iis reqvisiverat ipse, qvi in aliqvod secum certamen descensuri essent. Examinavimus singula, nihil omittentes, eorum, qvæ ad scopum prætensæ convenientiæ qvocunqve modo facere videbantur. Appellare autem confidenter audeo ad incorruptum cujuslibet hominis, ratione suâ sine affectu utentis, judicium, ne qvidem in unâ particulâ, qvantumlibet minimâ, verum solidumqve consensum, dissensum verò perfectum perpetuumqve deprehensum esse, pronunciaturum. Neqve argumenta aut indicia desunt, qvæ persvadeant, non ignorasse hunc dissensum Jesuitam, sed maluisse colorem qvalemcunqve consensui obducere, qvippe ad qvem examinandum expendendumqve ad Librorum nostrorum Symbolicorum & communis Ecclesiæ nostræ doctrinæ regulam, plerisqve simplicioribus neqve otium esse noverat, neqve facultatem. Qvâ de re DEO aliqvando, qvi conscientiarum scrutator est, reddet rationem. Cumqve ipse tam curiosè copioseqve conqvisito consensu hoc unum evincere intenderit, tot esse redeundi ad Rom. Ecclesiam rationes, qvot convenientiæ ipse enumeraverit momenta, & verò invictis à nobis rationibus ostensum sit, tot ubiqve dissensiones verissimè reperiri, tot novis nos constringi vinculis omninò sentiamus & profiteamur, ab Ecclesiâ Romanâ recedendi & in veritate Lutheranâ perseverandi!

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0064

opus, sed Sacramentum tale, qvo DEus
te beneficium qvoddam, Sacrificium, qv
utpote honorem, reddamus. Ex qvo ne
chariſtiam ex inſtituto Chriſti, ſi eſſentia
non eſſe ſacrificium, qvia nullum ullibi cc
nos in eo reddere aliqvid DEO debere,
qvippe cum omnia in inſtitutione verba c
ideò ſymbola, ut illa & per illa Chriſtus
qve ſuum nobis reddat comedendum atq
ad remiſſionem peccatorum noſtrorum.
delis memoratio mortis Chriſti, ad tantu
ſum nobis reddendum, ſacrificii qvidem
improprio & figurato, qvodqve Sacram
nullo modo ingrediatur, venire poſſe.
cum Vasqvetio concordia in eo conſiſter
nori, DEO reddito, agnitio ſummi DEI
ſit honor DEO ſoli proprius, involvatur
ritur, partim illicitam eſſe à genere ad ſp
partim Apologiæ particularem illum hc
non veniſſe, qvippe cui ſuffecerit ad ſacr
honor, DEO vel per gratiarum actione
agnitionem, vel per voti alicujus perſol
cunqve aliâ ratione exhibendus, partim
qvid in omni cultu Divino ultimò reſpic
gnoſcatur & celebretur ſuprema DEI maj
prium ſit ſacrificio, qvidqve illud in DE
mum & ἀνυπόθυτον habente, primò & ir
intendat. De qvo verò paulò ante fuſiu

XXIII. Accedimus nunc ad ſextu
cit, conſenſionis membrum, his verbis
*Catholici & Proteſtantes conveniunt, qvod
plici modo ſacrificium unicum appellandum
cum præcipuum & perfectiſſimum omnium
unqvam fuerunt, dum omnia reliqva ant*

Copyright 4/1999 YxyMaster GmbH www.yxymaster.com
VierFarbSelector Standard* - Euroskala Offset
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn881377562/phys_0069

sese retulerunt, ut figuræ sôlent & imagines ad exemplaria sua. Deinde, qvia est unicum sacrificium, qvod meruit redemptionem hominum plenam & perfectam atq; satisfecit abundantissimè justitiæ DEI pro peccatis. Unde sequitur, qvod nonnisi semel offerri debuerit, id est, qvod non sit necessarium, sive ut hic ipse JEsus Christus moriatur bis, qvasi prima mors ipsius non meruerit & satisfecerit sufficienter, sive ut alius aliqvis Christus moriatur pro nobis. Qvin potius Catholici & Protestantes summo consensu docent cum S. Paulo, non tantum, qvod JEsus Christus eos, qvos sanctificavit, per unum sacrificium in omnem æternitatem perfecerit; qvod per illud ipsum sacrificium, dum corpus suum semel sacrificavit, sanctificaverit; qvod semel oblatus sit ad multorum peccata abolenda[illegible] semel tantum apparuerit ad destruendum peccatum [illegible] ipsum obtulit in victimam: sed defendunt illi pr[illegible] semel tantum mori & in cruce sese offerre[illegible] aliud sacrificium nobis potuerit pr[illegible]um. Adducuntur hanc in rei[illegible]m verba allegata sunt, H[illegible]nulla auctorum lo- [illegible] sacrificium per- [illegible]IV. c. V. & Wal- [illegible]XXIIX. Ve- [illegible] id verò, qvod [illegible] unicè plenam per- [illegible]tionem, eosdem lau- dat[illegible] ex lib. I. de Miss. c. XXV. ubi h[illegible] *remisit omnia peccata, præterita, p[illegible]idem pretium acqvisivit sufficientissimum [illegible] mundi: & ideò illo sacrificio peracto & peccatis [illegible] non restat ulla similis oblatio pro peccato, id est, pro acqvi[illegible] pretio ad remissionem peccatorum.* Deniqve ad ultima verba, qvod nullum aliud sacrificium nobis potuerit promereri remissionem peccatorum, denuò Bellarmini ex eodem libro & capite verba producit: *Fatemur, sacrificium*